

www.e-rara.ch

In sacrosanctum Davidis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, [1551]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-7916>

Psalmus CXXI[-CXXX]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

A cum hominibus malis & pacis osoribus, nihilo tamen minus, quantum in ipsis est, ferociam illorum, si non compescere, saltem aliquousq; uerbis amicis & paci commodis mitigare conantur. Id innuit Propheta, cum dicit: Et cum loquor. Sic etiam admonet Apostolus Roman. 12. Impij uerò contrà sic sunt intractabiles, & ad maliciam irritabiles, ut etiam amico alloquio ad ingenium maliciosum & peruersum prouocentur. Quapropter si quisquam est, quem ista malorum hominum peruersitas turbat, sequatur Prophetę exemplum, queratur de illa in cōspectu Domini: & sicut illi in malicia sua perdurantes, nulla ratione ingenium mutant, ita ipse in bonitate et pacis studio perseuerans, nullo pacto ab ingenio filiorum Dei discedat.

PSALMVS CXXI.

CANTICVM GRADVVM.

Argumentum psalmi.

Summa huius psalmi est, à solo Deo petendum esse auxilium, & ab illius pendendum prouidentia.



Leuo oculos meos ad montes: unde ueniet auxilium meum.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.

Non dabit ad commotionem pedem tuum, non dormitabit qui custodit te.

Ecce non dormitabit, nedum dormiet, qui custodit Israelem.

B Dominus custodiet te, Dominus umbra tua, ad manum dextram tuam.

Per diem sol non lædet te, neq; luna per noctem.

Dominus custodiet te ab omni malo, custodiet animam tuam.

Dominus custodiet egressum tuum et ingressum tuum ab hoc tempore & usq; in seculum.

Non dabit.) Græcus & Vulg. lat. legunt optandi modo, Non det, neq; dormitet. Et infra uersibus septimo & octauo, Dominus custodiat te, custodiat animam tuam, custodiat egressum tuum, &c. Sic & Hieronymus & Iustinianus. Reliqua satis concordant.

LECTIO.
Vers. 1.

EXPLANATIO.

Leuo oculos meos.) Scio Dauidem Kimhi Ebraeum sic exponere, ut ista dicantur ad similitudinem speculatoris, qui in sublimi specula constitutus, in longinquum speculatur, unde nam aliquid auxiliij ueniat. Atq; ideo quod in textu est, **L**euo oculos meos אל ההרים, id est, ad montes, legendum על ההרים, id est, supra montes, uel in montibus. Verum meo iudicio nulla est hic necessitas, ut אל legamus pro על. Pijssimus rex, cum ad bellum egrediretur, oculos suos ad cœlos leuabat, unde corde auxilium & quærebat & sperabat. Huius uox primis duobus uersibus exprimitur. **L**euo, inquit, oculos meos ad montes, id est, cœlos, unde ueniet auxilium meum. Per interrogationem legatur. Auxilium meum à Domino sit, inquit, qui fecit cœlum & terram: hoc est, qui cœli & terræ Dominus est, & solus uerus Deus, solus etiam auxiliator in omnibus.

Vers. 1. & 2.

Non dabit ad commotionem pedem tuum.) Quæ sequuntur ad finem usq; psalmi, uerba sunt sacerdotum ac populi, bene ominantium regi suo, & expeditionis eius, propositum spe & fiducia diuini auxiliij corroborantium. Non dabit, inquiunt, ad commotionem pedem tuum. Quasi dicant: Quoniam hac fide & spe expeditionem hanc in hostes nostros moliris, quod Dominum cœ-

Vers. 3. 4. 5. 6.
7. & 8.

li, ac

li, ac terræ conditorem auxiliaturum tibi confidis, hac fide confidenter egre-
ditor. haudquaquam enim permissurus est, ut pes tuus commoueat, hoc
est, ut subuertaris. Non dormitabit, qui custodit te: hoc est, Habes enim cu-
stodem non dormitantem, sed uigilem. Ecce, non dormitabit, nedum dor-
miet, qui custodit Israel. Quasi dicat: Israelis negotium agitur, & huius in-
terest plurimum, ut expeditione utaris omnium prosperrima. Is autem, qui
custos est Israelis, non est oscitans, nedum dormiens, sed omnium uigilan-
tissimus. Hinc rursus securitatem promittunt, dicentes: Dominus custodiet
te, Dominus umbra tua ad manum dexteram tuam: hoc est, Sua te prou-
dentia sic diriget, ut ubi fortiter egeris in bello, habiturus sis eum ad dexte-
ram tuam, uelut umbraculum, quo conserueris ab æstu. Respiciunt ad con-
ditionem earum regionum, quæ admodum sunt calidæ, & bellantibus ni-
mio solis æstu molestissimæ. Vnde & Israel, cum in deserto moraretur,
refrigeratio nubis comitabatur. Subijciunt igitur: Per diem sol non lædet
te, & addunt de luna quoque: Neque luna per noctem, nam & huius frigus ad-
modum est noxium illis, quibus est in castris & sub aperto cælo commo-
randum. Et ut summam plenam custodiam Dei exprimant, qua sic custo-
diatur, ut nullo lædatur incommodo, addunt: Dominus custodiet te ab om-
ni malo, custodiet animam, id est, uitam tuam, ne hostium uel insidijs, uel im-
petu succumbas. Deinde concludunt: Dominus custodiet egressum tuum,
& ingressum tuum: hoc est, Ducat & conseruet te eundo ac redeundo, non
hoc tantum, sed & futuro quouis tempore, usque in seculum.

Ad hunc modum uidetur mihi præsens psalmus exponendus: nolim ta-
men repugnare, si quis illum peregrè aliquò profecturis, à sacerdotibus ac
Leuitis accommodatum fuisse putauerit. Etenim facile crediderim id moris
fuisse in Israele, ut qui peregrè abituri essent, primum in tabernaculo Dei
comparuerint, & auxilium à Domino, uel precationibus, uel etiam oblatio-
nibus expetuerint: & in hunc usum præsentem hunc psalmum, & alios con-
similes, fuisse à sacerdotibus ac Leuitis usurpatos.

OBSER. *Leuo oculos meos ad montes.*) Obserua hic, quò ferantur piorum oculi, dum o-
pus habent auxilio. Ad montes, inquit, leuo oculos meos. Altissimi quidem
sunt cælorum montes, uerùm haudquaquam inaccessi oculis eorum qui au-
xilium sperant à Domino. Alij exponunt per montes hoc loco cælestes ci-
ues, & sublimes potestates, angelos scilicet. Verùm piorum oculi non ten-
dunt ad angelos, sed cælos, tanquàm arcem illam ueri & unici Dei, nimirum
eò, quò cordis fiducia dirigit.

Vnde ueniet auxilium meum?) Vide pium bellatorem. Quamuis nec inermis,
nec sine copijs ad bellum egrederetur, iudicabat tamen opus sibi esse maio-
ri ac firmiori auxilio, quàm uires humanæ præstare possent, nimirum cæle-
sti. unde & dixit: Vnde auxilium meum? & simul oculos in cælos extulit.
Nostrorum principum oculi ad bene armatas copias, & belli apparatus di-
riguntur, & inde uictoriam futuram putant.

OBSER. *Auxilium meum à Domino, qui fecit.*) Obserua, quid in Deo spectet pius rex, un-
de sibi futurum auxilium speret: omnipotentiam uidelicet, & potestatem
uniuersalem in omnia. Sic enim scriptura de Deo prædicat, quòd cælum ac
terram fecerit, ut inculcet in ipsius esse potestate omnia quæ in cælo sunt &
in terra. Recte ergo, quibus aduersum potentes huius mundi diuino opus
est auxilio, id in Deo considerantes, quòd cælum & terram fecerit, fidem
suam ac fiduciam confirmant. Sic & apostoli Actorum quarto fecisse le-
guntur.

OBSER. *Non dabit.*) Duobus istis uersibus, 3. & 4. admonemur, qualem custodem
habeāt pij. Custode dormiente nihil est inanius, imò nihil periculosius: nam
non solum non facit officium, sed & perdit eos, qui ipsius fiducia securè a-
gunt. Rursus, custode uigili ac fideli, nihil preciosius illis est, qui periculis
sunt obnoxij, præsertim si non solum uigilat, sed & pericula ipse auertit. Ta-

lis custos

Alis custos p̄forū proponitur hic Deus. Ille non solum peruigil est, sed & seruator: ut recte dixerit ille, οὐδὲν ἀπεκονόητο, οὐδὲν ἡμελημῆτο, πρὸς δὲ πᾶσι τοῖς ἀποστόλοις & ὁφθαλμός. πᾶσι παρέστη ἐκπορεύων ἐν ἅσῳ τῷ σωτηρίου.

Qui custodit Israelē.) Obseruemus hanc particulam. Promittunt regi suo custodiam Dei, & nominant illum **יִשְׂרָאֵל**, id est, custodem Israelis: populi uidelicet illius, cuius erat bella gesturus. Ergo admonemur tum recte sperari, fore Dominum principis aut regis custodem, quando subditi sic sunt comparati, ut Dominus sit ipsorum custos.

Dominus custodiet te.) Obseruandum est in reliquis istis uersibus, quanta diligentia spiritus sanctus custodiam Dei inculcet. Primum, uerbum custodiendi quinque repetit. Deinde, securitatem ab omnis generis incommodis promittit, ab aestu solis, à frigore lunæ, à quouis malo, à periculis uitæ, quorum innumera sunt illis timenda mortalibus, præsertim qui ad bella egrediuntur. Tertiò, deductionem ac reductionem, quasi ouicula eundo ac redeundo custodiatur. Hæc autem non sic sunt accommodanda Dauidi, quasi ad ipsum tantum pertineant: sed spectandum est consilium spiritus sancti, qui ista fidelibus eam ob causam proponi uoluit, ut sint illis prouocamenta ad imitandum Dauidis fidem, ut & ipsi consimilem cœlestis speculatoris ac protectoris custodiam experiantur.

OBSER.

Vers. 5. 6. 7. et 8.

PSALMVS CXII.

Canticum graduum Dauid.

Cum esset arca Dei per Dauidem Hierosolymam translata, & in tabernaculum collocata, compositus est hic psalmus, & populo Israeli diebus festis secundum legem ad domum Dei ascendenti accommodatus. Excitantur autem ascendentium animi, ut ascendant cum gaudio, & ciuitati Hierusalem optima quæq; precentur.



Et or, cum dicunt mihi, Ad domum Domini ibimus. 1
Stantes erūt pedes nostri in portis tuis Hierusalem. 2
Hierusalem ædificata est ut ciuitas, ad quam conue 3
niatur simul.

Vt illuc ascendant tribus, tribus Domini, concio Israelis, ad celebrandum nomen Domini. 4

Quia ibi collocata sunt tribunalia ad iudicandum, tribunalia 5
domus Dauidis.

Optate pacem Hierusalem, prosperè agant, qui te diligunt. 6

Sit pax muris tuis, prosperitas in palatijs tuis. 7

Propter fratres meos & proximos meos hoc nunc loquor, ut 8
pax sit in te.

Propter domum Domini Dei nostri: quæro hoc, ut bene sit 9
tibi.

In portis tuis.) Sic est in Ebræo. Græcus uerò & Vulgata latina, In atrijs tuis legunt. Sic reddidit & Hieronymus. **L E C T I O.**
Vers. 2.

Ad quam conueniatur simul.) Ebr. **שְׁחַבְרָה לָּהּ יְהוּדָה**. Græcus & Vulgata latina, Cuius participatio eius in idipsum. Hieronymus, Cuius participatio eius simul. Felix, Quæ coniuncta est ipsi simul. Pagninus, Cui iuncta est simul. Iustinianus, In qua conueniant in simul. Et Campensis, Ad quam statis anni temporibus confluebat populus uniuersus, & recipiebatur commodissime.

Concio Israelis.) Ebr. **עֲרֵי יִשְׂרָאֵל**. Græcus & Vulg. lat. Testimonium Israel. **Vers. 4.**
Sic & Hieron., & Felix, & Pagninus & Iustinian., Tigurin. Ex obtestatione, qua

qua Israelitæ obstricti sunt. Significat autem עיר & testimoniū, & coetum: C unde isti reddiderunt, Testimonium Israel. Campensis uerò sic, Et tota turba Israelitici populi. Et Kimhi Ebr. sic scribit: ואנא תמצא עיר במדבר שהכרה. id est, Et ubi reperitur ciuitas qualis hæc est, ad quam cōgregatur concio Israelis simul tribus uicibus in anno.

Verf. 7. Sit pax muris tuis.) Ebr. יתי שלום בחילך. Græc. & Vulg. lat. Fiat pax in uirtute tua, & abundantia in turribus tuis. Iustinianus, Sit pax in exercitu tuo, sitq; pax in regijs tuis. Felix, Erit pax in antemurali tuo, & abundantia in palatijs tuis. Pagninus, Sit pax in antemuralibus tuis, prosperitas in domibus tuis. Hieronymus sic, Sit pax in muris tuis, & abundantia in domibus tuis. Hæc uarietas ex eo est, quòd uox חיל Ebrais & uirtutem, & exercitum, & antemurale significat.

Verf. 8. Hoc nunc loquor, ut pax sit in te.) Ebraicè est, לא ארבה נא שלום לך. id est, Loquar nunc pacem in te. Sic Felix reddidit & Iustinianus. Græcus & Vulgata latina, Loquebar pacem de te. Hieron. Loquar pacem tibi.

Verf. 9. Quæro hoc, ut bene sit tibi.) Ebr. אבקשה טוב לך. id est, Quæram bonum tibi. Sic Iustinianus, Pagninus, & Felix. Et Hieronym. Quæram bona tibi, Græcus & Vulgata latina, Quæsiui bona tibi.

EXPLANATIO.

Verf. 1. & 2. Lætor, cum dicunt mihi.) Formantur animi populi Israelis, ut tali affectu erga ciuitatem Dei Hierusalem præditi sint, qualis hic exprimitur. Lætor, (sic dicat quisq; pius Israelita) cum dicunt mihi, in domum Domini ibimus : hoc est, Instat dies festus, ut ascendamus ad domum Domini. Lætor, quòd pedes nostri in portis tuis, ô Hierusalem, stabunt. Loquuntur autem uel de transitu portarum ciuitatis, uel de portis & atrijs domus Dei, in quibus populo consistendum fuit, propter multitudinem ac frequentiam, ad diem festum ex uniuerso Israele conuenientium.

Verf. 3. 4. & 5. Hierusalem ædificata est.) Tribus istis uersibus, tertio, quarto, & quinto, ponitur ciuitatis Hierusalem laus & commendatio. Primū, commendant eam à fine ædificationis. Is autem erat, ut illic fieret congregatio populi Dei. Sic dicunt: Hierusalem ædificata est ut ciuitas, ad quam conueniatur simul. Et ut rationem conuentus huius exprimant, subiiciunt: Ut illuc ascendant tribus tribus Domini, id est, singulæ tribus Domini, populi uidelicet Domini concio, uel panegyris Israelis ad celebrandum nomen Domini. Hac de re in lege præceptum erat, ut tribus uicibus anni coram Domino omnis masculus appareret. Deinde commendant hanc ciuitatem propter sedem iudiciariam & regiam domus Dauidis. Potest autem hic uersus sic exponi, ut quod dicūt, Quia illic collocata sunt tribunalia ad iudicandum: intelligatur de iudicio sacerdotum, quod secundum legis præscriptum exercebatur. Et quod subiiciunt, Tribunalia domus Dauidis, pertineat ad gubernationem regiam.

Verf. 6. 7. 8. Optate pacem Hierusalem.) Hisce uerbis hortantur se inuicem, ut Hierusalem ciuitati Dei bene precentur: deinde formantur uerba, quibus hoc faciant. Sic quisq; dicat: Prosperè agant, qui te, ô Hierusalem, diligunt. Pax sit muris tuis: hoc est, Nulla sint bella quibus infesteris. Prosperitas in palatijs tuis: id est, Omnis rerum successus obtineat intra mœnia tua. Nulla sit tibi egestas, nulla calamitas. Propter fratres meos & proximos meos hoc nunc loquor, &c. Hoc est, Quòd opto ut pax sit in te, quòd quæro & peto ut bene sit tibi, facio propter fratres meos & proximos: id est, socios meos, eiusdem fidei ac religionis consortes, cum qui te inhabitant, tum qui te inuifunt, imò propter domum Domini Dei nostri, qui sibi sedē suam in te collocauit, cuius te nomine diligo, & omnis generis prosperitate dignam esse iudico. Si uoluit spiritus sanctus mentes Israelitarum, quasi præscriptis uerbis formare, quomodo debeant ciuitatem Dei cum propter domum Dei, tum propter communis fidei consortes amanter complecti, illiq; ex animo bene precari.

Lætor,

A *Lætor, cum dicunt mihi, Ad domum Domini ibimus.*) Cogitemus hic, quid rationis sit, quod spiritus sanctus à populo fidelium exegit, ut cum gaudio ad domum Dei ascenderent, & coram Domino Deo suo comparerent, cum essent ad hoc lege astricti. Innuitur scilicet, non delectari Deum obedientia coacta, & animis inuitis ac tristibus, sed uoluntarijs & alacribus. Nec immerito. Nam quod iuebantur lege certis anni temporibus comparere eò loci, ubi tabernaculum Dei esset, ipsorum bono fiebat, non legislatoris comodo. Verum de huiusmodi gaudio, quo sancti ad domum Dei ascendere consueuerunt, annotatum est supra psalm. 42. & 84. Deinde & illud obserua, quod dicit: Cum dicunt mihi, Ad domum Domini ibimus. Sic alius alium excitabat, etiam antequam ascendendi tempus esset. Studium hoc decet homines Christianos, ut alius alium ad hoc excitet, ut cum gaudio ad Ecclesiasticos conuentus ascendant.

OBSER.
Vers. 1. & 2.

Stantes erunt pedes nostri in portis tuis Hierusalem.) Cogitemus hic, cum pijs tam fuerit iucundum ac desiderabile, ut starent in atrijs ac portis terrenæ & umbratilis Hierusalem: quanto nobis sit desiderio suspirandum, ut tandem in atrijs cœlestis Hierusalem, in conspectu Dei, summa & perfecta cum felicitate compareamus, ubi quod tum in figura delineabatur, sempiterna ueritate complebitur.

Hierusalem ædificata est ut ciuitas, ad quam.) Vide quid spiritus sanctus tribus istis uersibus in ciuitate Hierusalē cōmendat. Non dicit, Hierusalē ædificata est splendore ac robore regio: sed, Ædificata est ut ciuitas, ad quam conueniatur simul, ut illuc ascendant tribus tribus Domini, concio Israelis ad celebrandum nomen Domini. Et, Quia illic collocata sunt trib. ad iudicandum, &c. Hæc scilicet sunt insignia ciuitatis Dei. Conuentus populi fidelium, celebratio nominis Dei, & iusta iudicia. Admonemur hic, quanti facienda sit eiusmodi ciuitas, in qua conuenitur à fidelibus, uelut unius corporis membris: conuenitur autem eadem fide, spe, & charitate: conuenitur cum gaudio & spiritu uoluntario, idq; in Domino. Deinde, in qua uiget laus Dei, celebratur & prædicatur nomen Dei. Tertiò, in qua studetur ueræ iusticiæ, & ad illius conseruationem exercentur recta & incorrupta iudicia. Talis ciuitas, uerè fidelis ac Dei ciuitas est, ueræ ac cœlestis Hierusalem filia. Est autem & cœlestis Hierusalem imago hic consideranda: terrena Hierusalem sic erat ædificata, ut esset ad eam ascendendum, propter loci situm. Cœlestis Hierusalem constructa est in cœlis, nec in eam, nisi ascendendo ex huius uitæ fecibus, per alacritatem spiritus, accedi potest. Carnales ac terreni homines illò non pertingunt. Deinde, terrena Hierusalem ad hoc constructa erat, ut esset ciuitas populi Dei, conuentibus illius deputata. Sic Hierusalem illa cœlestis ad hoc est ædificata, ut illic tribus Domini, populus electorum ac credentium in hac uita uotis fidei, post illam æterna corporum ac spirituum societate conueniât. Huc nos dirigit Apostolus, dicens: Quærite quæ sursum sunt. Et illò nos accessisse, Ebr. 12. admonet. Terrena Hierusalem cultum diuinæ laudis habebat. Cœlestis demum ea est, in qua & angeli, & sanctorum ecclesia, Dominum Deum in sempiternum laudant & laudabunt. Habuit terrena Hierusalem sedem Dauidis: cœlestis, sedem habet Christi filij Dei, regis regum, & Domini dominantium, cuius Dauid typus quidam extitit. Terrena habuit tribunalia, unde de omnibus Israelitis iudicabatur. Cœlestis tribunal habet, unde iudicatur & iudicabitur de toto terrarum orbe, & cunctis in uniuersum mortalibus, &c. Utinam ista perpēdamus, & toto corde ad cœlestem illam Hierusalem aspiremus omnes, quotquot illius censemur alumni.

OBSER.
Vers. 3. 4. & 5.

Optate pacem Hierusalem.) Primum obseruemus, quid optandum sit Hierusalem ciuitati Dei in terris constitutæ. Optate, inquit, pacem Hierusalē. Admodum conuenienter. Versabantur enim in medio hostium illius ciues, & erant impiarum gentium insidijs & impugnationibus obnoxij, ut nihil illis conuenientius pace à Deo peti & optari potuerit. Eiusmodi conditio est

OBSER.
Vers. 6. 7. 8.
& 9.

ad finem usque mundi, ecclesiae fidelium, ut & ipsi apprecanda sit pax & quies à Domino. Nam in mundo pressuram patitur, & ab impijs satanae satellitibus indefinenter adfligitur. Addunt: Prosperè agant, qui te diligunt: Et, Sit prosperitas in palatijs tuis. Prosperitas est, omnium eorum, quae necessaria sunt, inoffensus & optatus successus. Rectè adiungitur illa paci. In ecclesia Christi prosperè succedunt omnia, quando fidei, spei, charitatis, cognitionis Christi, renouationis & uerae pietatis incrementa liberè & inoffense prouehuntur. Igitur & illa optanda est ecclesiae fidelium. Deinde & illud notemus, quòd dicit: Prosperè agant, qui te diligunt. Innuitur non esse sperandam istam pacem & prosperitatem ciuitatis Dei, nisi illis qui eam diligunt. Non est ociosa ista specificatio. Habebat Hierusalem non paucos degeneres ciues, quorum corda magis cum hostibus, quam cum ipsa iungebantur & conspirabant. Et utinam non sit haec eadem sors & conditio ecclesiae Christi. Sunt in illa innumeri, qui quamuis amici uideri uelint, re ipsa tamen non illam, sed se ipsos quaerunt, & sub illius nomine quaestum exercent omnium turpissimum ac nefandissimum, ut reliqua execranda taceam: ut si rectè inspiciantur & cognoscantur, nocentissimi ecclesiae hostes, & ipsissimi inimici Dei deprehendantur.

Propter fratres meos, & proximos meos.) Admonemur hisce duobus uersibus, primum, quo loco quisque fidelis fidei suae consortem habere debeat. Fratris uidelicet & proximi loco. Deinde quibus de causis amico debeat esse prae-ditus affectu erga ecclesiam fidelium. Propter fratres, inquit, & proximos meos. Et, Propter domum Domini Dei nostri. Haec duo debent spectari in ecclesia Christi. In hac sunt fratres & proximi. In hac est domus Dei. Immo ipsa est domus Dei, in qua sunt filij Dei ac ueri fratres. O' uerè felicè, & uerè Christianum, quisquis uera & germana Christi cognitione ac fide, deinde & uera secundum spiritum filiorum Dei φιλαδελφία prae-ditus, ex animo dicere potest, Propter fratres meos & proximos meos, & propter domum Domini Dei nostri, & quaero & precor, ut bene sit ecclesiae Christi.

PSALMVS CXXIII.

Canticum graduum.

Apparet hunc psalmum eorum esse, qui propter pietatis studium, & fortunam humiliorem ac despiciorem in ipso populo Dei à potentibus, primoribus, & opulentioribus contem-nuntur & probris afficiuntur. Suspiciunt illi ad Deum in ipsos coelos, & misericordiam illius implorantes, de eo impense queruntur, quòd superbiorum & arrogantium probris ac sanis facti sint obnoxij.



1 **A**d te leuo oculos meos, qui habitas in coelis.

2 **E**cce sicut oculi seruorum ad manum herorū suorum, sicut oculi ancillae ad manum herae suae: sic sunt oculi nostri ad Dominum Deum nostrū, donec misereatur nostri.

3 **M**iserere nostri Domine, miserere nostri: quia admodum saturati sumus ignominia.

4 **A**dmodum saturata est anima nostra subsannatione locupletum, & contemptu superbiorum.

LECTIO Subsannatione locupletum.) Graec. & Vulgata lati. legunt, Opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

EXPLANATIO.

Vers. 1. Ad te leuo oculos meos.) Versu primo exprimitur illud, quòd pii, dum probris & ignominia afficiuntur, ad Deum confugiunt, & secundum cordis sui moesticiam in coelos suspiciunt, tanquam sedem & arcem illam, unde omnis iniusticiae uindicta, & innocentum assertio expectatur. Dicit itaque pius animus: Ad te domine, qui coelos inhabitas, hoc est, qui Dominus es omnium, & pote-

A & potestatem habes in omnia, oculos meos in ipsos cœlos attollo: id est, abs te auxilium peto & expecto.

Ecce sicut oculi seruatorum.) Similitudine seruatorum & ancillarum, & modestiam, *Verf. 2.* & necessitatem, & spem suam exprimunt, dicentes: Ecce sicut oculi seruatorum ad manum herorum suorum. Quasi dicat: Quod ad te Domine suspicimus, facimus tanquam serui tui. Etenim, ut serui & ancillæ, ubi quid incommodi patiuntur, non aliò quàm ad manum, id est, opem & auxilium, herorum suorum ac dominarum respiciunt, & inde expectant, ut iuuentur, quando non est illis aliud refugium relictum: sic & nostra habet conditio, nostra necessitas, & spes unica, qua à te pendemus. Ideo intenti sunt oculi nostri ad te Domine Deus noster: illosq; non reflectimus, donec miserearis nostri, & afflictis succurras.

Miserere nostri Domine.) Duobus istis uersibus duo faciunt. Primum, implorant misericordiam Dei, dicentes: Miserere nostri Domine, miserere nostri. Quod secundò dicunt, Miserere nostri, ad hoc factum est, ut doloris magnitudo, & ardor implorationis exprimeretur. Deinde adiungunt querelam, de miseria sua, cuius respectu misericordiam Dei implorant. Quia admodum, inquiunt, saturati sumus ignominia. Admodum saturata est anima nostra subsannatione, &c. Verbo saturandi significant se diu admodum & multis probris esse affectos. Et ut etiam exprimant, à quo genere hominum contemnantur, ac subsannentur, addunt: Subsannatione locupletum, & cōtemptu superbiorum. Erant illi optimates & opulenti in populo, qui & Amos 6. statim initio *עוֹלָם* uocantur, ac reprehenduntur.

Ad te leuo oculos meos.) Obseruemus in hisce duobus uersibus, quomodo de seipsis sentiant p̃ij in conspectu Dei. Sunt à Deo electi in sortem & hæredes, *OBSER. Verf. 1. & 2.* tatem filiorum Dei, & supra ipsos angelos exaltati: interea tamen de seip̃is non aliter sentiunt, quàm de seruis ac mancipijs Dei. Non dicunt hoc loco, Ecce sicut oculi filiorum ad manum parentum suorum: sed, Ecce sicut oculi seruatorum ad manum herorum suorum, &c. Hæc est piorum modestia, per quam tam abest, ut dignitas filiorum, in quam sunt assumpti, amittatur, ut per eam ipsam multo certius custodiatur. Deinde notemus etiam quæ sit nostra omnium conditio & necessitas. Ea uidelicet, quæ est seruatorum & ancillarum. Illi, ut iuri herorum suorum sunt astricti, ita neminẽ præterea habent, unde si quid patiuntur mali, uel necessitate aliqua premuntur, subsidium petant & auxilium, quàm heros suos. Sic, quicquid nobis accidat, non est aliis quisquam auxiliator, præter unum Dominum illum, cuius unius sumus iuri ac potestati subiecti. Itaq; sicut serui rectè faciunt, quod in omnibus ad manum dominorum suorum respiciunt, & auxilium petunt: ita & p̃ij omnium rectissimè faciunt, quod ad eius opem confugiunt, qui solus opem ferre potest. Illud autem admonendi sumus, ut sicut serui non solum ad manum herorum suorum respiciunt, sed & ab illorum oculis & ore pendent, ad nutus & iussa eorum spiritu obedientie parati: planè eodem & nos modo non solum à manu, id est, ope Dei pendeamus, sed & ori illius obedientes simus. Tertiò & illud obserua, quod dicit: Donec misereatur nostri. Admonemur, non esse auertendos oculos nostros ab expectatione cœlestis auxilij: sed perseueranter expectandum, sperandum & implorandum, donec nostri misertus opem ferat.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.) Obserua, quomodo pius loquatur. Nō dicit, Miserere mei Domine, miserere mei, quia ignominia afficior: sed, Miserere nostri Domine, quia saturati sumus ignominia. Non sicutur pius propria ac priuata, sicuti cōmuni bonorum & fidelium ignominia. Est cōsensu piorum non solum in cruce, sed & gemitibus & inuocatione cœlestis gratiæ. *OBSER. Verf. 3.*

Quia admodum saturati sumus ignominia.) Nota, qd non simpliciter dicit, Quia afficimur ignominia: sed, Quia admodum saturati ac repleti sumus ignominia. Ergo non statim in huiusmodi gemitus & querelas feruntur p̃ij, ubi cōtemni

cœperint: sed patienter sustinent, & meliora sperant, donec tandem abunde C
probris, fannis, contumelijs & irrisiionibus impleantur.

OBSER.

Admodum saturata est anima nostra subsannatione locupletum, & contem. superborū.) Con
sidera hic, quàm non sit nouum hoc malum in ecclesia & populo Dei, quòd
plebs humilis, quam laicam uocant, à magnatibus, optimatibus, opulentis
illis ac præpinguibus dominis despectui habetur: nec negligitur tantum, &
in corde contemnitur, sed & ore ridetur, exhibilatur, ac subsannatur. Atq; ita
fit, ut anima illorum, dum pabulum uitæ requirit, contemptu, fannis ac pro-
bris saturetur. Faciunt hoc opulenti in ecclesia, qui confidunt in monte ter-
renæ potentia, optimates, capita populorum, ingredientiæ pompaticæ, sepa-
rati in diem malum, appropinquantes solio iniquitatis, dormientes in lectis
eburneis, lasciuiantes in stratis suis, comedentes pingua de grege, bibentes
uinum è phialis, optimo unguento delibuti, ac nihil patientes super contri-
tione Ioseph. Quid illis aliud expectandum, quàm quod per Prophetam mi-
natur Dominus: Auferetur factio lasciuiantium ac superborum, quam Do-
minus detestatur.

P S A L M V S C X X I I I.

Canticum graduum Dauidis.

Canticū hoc gratulorū est. Prædicat populus Israel opem & auxilio Domini esse liberatū,
à uolentia hostium, quos quidam Ammonitas intelligunt. quibus haud illibenter assentior.

1  Ipsi fuisset Dominus, qui adfuit nobis, dicat nūc Israel:
2 Nisi fuisset Dominus, qui adfuit nobis, cum insur-
gerent in nos homines:
3 Tunc uiuos deuorassent nos, cum succensa esset ira
eorum in nos.

4 Tūc aquæ inuoluissent nos: torrēs pertransisset animas nostras.
5 Tunc pertransissent animas nostras aquæ elatæ: D
6 Benedictus Dominus, qui non dedit nos prædā dētibus eorū.
7 Anima nostra, uelut auis erepta est è laqueo aucupū: laqueus
diruptus est, & nos liberati sumus.

8 Auxiliū nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlū & terram.
LECTIO Nisi fuisset Dominus qui adfuit nobis. Ebr. לֹא־יִהְיֶה לָנוּ יְיָ, id est, Nisi Do-
minus, qui fuit nobis. Græc. & Vulg. lat. Nisi quia Dominus erat in nobis.
Vers. 1. & 2. Hieron. Nisi Dominus fuisset in nobis. Iustinian. Nisi quòd Deus aderat no-
bis. Felix, Nisi Dominus fuisset pro nobis. Pagnin. Nisi Dominus, quia fuit
nobiscum.

Vers. 4. Torrens pertrans. Græc. & Vulgata lat. Torrentem pertransiuit anima no-
stra. Verū in Ebræo est נַחֲלָה עָבַר עַל נַפְשִׁי, id est, Torrens transisset su-
per animam nostram.

Vers. 5. Aquæ elatæ. Ebraic. חַמִּים הַיָּרִיחַ, Græc. ὁ ὕψιστος & ἀνυπέρσῃτος, id est, Aqua
non subsistens, quasi fundo carens, quòd sit profundissima. Vulgata latina,
Aquam intolerabilem. Hieron. Aquæ superbiæ. Sic & Iustinian. & Pagni.
Aqua superba. Camp. Vnda malorum profundissima.

E X P L A N A T I O.

Vers. 1. 2. 3. 4.
& 5.

Nisi fuisset Dominus. Hoc in summa dicunt: Nisi opē sua succurrisset nobis
Dominus, cum hostes ira accensi in nos insurgerent, planē nos subuertissent
ac deleuissent. Verū pro more carminis ista amplificāt in geminationibus,
metaphoris, ac similitudinibus. Versu primo hortatur Psalter populū Israe-
lis, ut se concinendo cōsequantur, eo quòd quæ hīc canūtur, ad ipsos perti-
neant. Cum insurgerēt in nos homines. Loquitur de hostibus, siue illi fue-
rint Ammonitæ ac Syri, & Idumæi, siue alij. Tunc uiuos deuorassent nos.
Exprimit hostium ferociam & uires, & è diuerso Israelis infirmitatē ad resi-
stendum.

Atendum. Vtitur autem similitudine ferocis ac immensae alicuius bestiae, quae praedam captam uiuam deglutiat. Tunc aquae inuoluissent nos, uel inundassent supra nos. Rem eandem alia similitudine canit. Comparat impetum hostium ualidis aquis, utpote torrenti uiolenter irruenti, & quaeuis obuia subuertenti. Vocat etiam hostes aquas elatas, propter superbiam, temeritatem, insolentiam, & arrogantiam hostilem.

Benedictus Dominus.) Tribus postremis uersibus laudant Dominum, cuius Vers. 6. 7. & 8. erant beneficio erepti. Benedictus Dominus, aiunt, qui non dedit nos praedam dentibus eorum. Respiciunt ad similitudinem ferocis bestiae, quae supra uers. 3. innuitur. Quasi dicat: Eramus instar ouicularum, & quasi praeda quaedam dentibus bestiarum exposita. Verum benedictus sit Dominus, qui noluit nos dentibus ipsorum absumi. Anima nostra instar auiculae inciderat in laqueos illorum: sed Domini clementia factum est, ut & nos liberati simus, & laqueus contritus. Intelligunt autem per laqueum, uires hostium, quibus Israel aliquandiu fuerat detentus ac pressus. Auxilium nostrum in nomine Domini. Quasi dicat: Nemo nos iuuuit, nullae nobis succurrerunt auxiliares copiae, sed auxilium nostrum fuit a Domino, qui coelum & terram fecit, in cuius nomine ad bellum egressi sumus, hostes prostrauimus, & uictores euasimus.

Nisi fuisset Dominus, qui adfuit nobis.) Obseruemus hic, quomodo auxilium suum OBSER. populo fidelium dispenset Dominus. Differt illud tantisper, dum inimici eorum Vers. 1. usque adeo inualescere coeperint, ut manibus eorum eripi posse uideatur impossibile, ac tum demum iam iam periclitaturis succurrit, ut cogatur agnoscere ac fateri, fuisse ipsis pereundum, nisi adfuisset Dominus. Haec duo uidemus Israelitas hic agnoscere ac predicare. Primum, adfuisse ipsis Dominum, hoc est, opem ipsis tulisse. Alterum, fuisse ipsis plane pereundum, nisi Dominus succurrisset.

Dicat nunc Israel.) Israel est populus Dei. Agnoscamus ergo hanc esse sortem populi Dei, ut solo diuino auxilio liberetur e manibus hostium: & hoc ab illo requiri, ut sic se liberatum esse a Domino palam ac disertè fateatur. Hanc B laudem Deo non poterit canere, nisi uerus Israel, & suam imbecillitatem, & hostium uires, & praesens discrimen, & diuinum auxilium expertus.

Cum exurgerent in nos homines.) Obserua modestiam spiritus. Poterat dicere, OBSER. Cum exurgeret in nos impij: uerum maluit modestè de hostibus iam uictis, Vers. 1. & prostratis loqui, & ueluti per comiserationem eos uocare, אֲנָשִׁים, id est, homines. Et illud cogitemus, quod sit miserum ac deplorandum, quod homines in eiusdem naturae, eiusdem generis & conditionis cōsortes hostili crudelitate, & plus quam bestiali saeuitia insurgunt: cum homine magis nihil conueniat esse homini amicū ac beneuolū. Sed hoc debet originali corruptioni, qua mox initio germanus etiam in germanum, nedum homo in hominem, occidendi gratia insurrexit.

Tunc uiuos deuorassent nos, cum succensa.) Obserua maliciam & uim irae, quae ex hominibus natura & conuictu mansuetis, bestias reddit atroces & immanes. OBSER. Vers. 3.

Deinde & causas tantae irae expende. Quid fecerat Israel, unde gentibus illis uicinis tantopere mota sit atra bilis? Nolebat amplius iniustae seruitutis ferre molestias, Regem nactus a Domino, seruatore ac liberatore. Haec scilicet erant irarum causae. Hoc typo delineatum est, unde sit, quod satellites satanae usque adeo exandescant in pios, ut eos ueluti uiuos deglutire conentur. Nolunt amplius ducere iugum cum infidelibus, nacti seruatorem ac redemptorem uerum Dauidem Christum. Hinc tantae irae, tanta saeuities, tanta crudelitas.

Tunc aquae inuoluissent nos.) Obserua quid spiritus sanctus hac similitudine aquarum & torrentis, tribuat impijs populi Dei inimicis. Tribuit illis primum OBSER. Vers. 4. & 5. conspirationem multitudinis, consimilem undis unde quaque collectis. Deinde impetum ad subuertendum irruentem, qualis esse solet torrentium. Tertiò, elationem, arrogantiam, & superbiam. Haec sunt uires satanae, quibus ad subuertendum pios ac fideles utitur.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos.) Expende quod non dicunt, Qui eripuit OBSER. nos: sed, Qui non dedit nos praedam dentibus eorum. Eripuit quidem eos, uel Vers. 6.

rūm hoc magis prædicat spiritus sanctus, quod impij, quantumuis multi, potentes, irati, feroces, instar torrentium, instar atrocium & immanium bestiarum, uelut aperto rictu irruentes, nihil possunt in pios, quamuis paucos, & imbecilles, nisi Dominus eos in potestatem ipsorum dederit. Deinde in eo qd hoc Israel de Deo prædicat, admonemur, quanti sit nobis faciendum, & quā sit in eo agnoscenda fides & benignitas Dei, quando animas nostras non dat prædam dentibus impiorum. Agnoscendum nobis est, quod id iurare posset, modo uellet: & cum id non facit, non esse nostræ iusticiæ, sed ipsius tribuendum fidei ac bonitati.

OBSER.

Vers. 7.

Anima nostra uelut auis erepta est à laqueo aucupum.) Obserua similitudinem. Quis autem non iudicat actum esse de auicula illa, quæ laqueo aucupis innexa, & irretita tenetur, unde seipsa nullo poterit eripere pacto? Ad eum modū eramus & nos laqueis satanæ capti, & nodis insolubilibus irretiti, cum seruitute illius detineremur. Nūc uero beneficio seruatoris nostri erepti, agnoscamus præcedentem calamitatem, & gratiæ huius, in qua stamus, libertatem: curemusq; in posterum, ut in nullos alios seruitutis noxiæ laqueos incidamus. Lucundissimum est hoc canticum liberatis, Anima nostra erepta est à laqueo aucupū, laqueus contritus est, & nos liberati sumus: modò uigilemus & circumspeciamus, ne nobis ipsi laqueos seruitutis struamus. Utuntur hoc uersiculo homines בליעלים, omnis disciplinæ expertes, ubi iugo Christi colla sua exemerunt, quasi hoc eripi à laqueo uenantium, & contrito laqueo liberari, nulli esse disciplinæ subiectum, & quauis ecclesiastica reformatione contempta & repressa, pro libidine carnis omnis generis nequiciæ & cor & animū & corpus ad seruendum tradere.

OBSER.

Vers. 8.

Auxilium nostrum in nomine Domini.) Cogitemus hic, quorū sit uox ista. Vsurpatur hic uersiculus à plerisq; dum sacra quædam aggredi conantur: quibus id optarim ex animo, ut tales essent, & eiusmodi sacra celebrarent, ut quod populus fidelium uerè, & per experiētiā, magnis periculis auxilio Domini ereptus, magno cum gaudio canit, id & ipsi pari cū ueritate, tum experientia canere possent. Omnino non potest quisquā ex animo & uerè dicere, qd auxiliū ipsius sit in nomine Domini, nisi primū pertineat ad nomen Domini, Domino uerè sanctificatus: deinde fide sit diuini nominis præditus: tertio sic uiuat, & sic propter gloriam diuini nominis periclitetur, ut auxilium à Domino, in ipsius nomine & petere & sperare & accipere possit. Quis autem adeo stupidus est, qui non uideat, quā non sint ista quorumuis, & omnium minimè eorum, qui nec agūt quicquam, nec patiuntur, sincere propter nomen Domini: nec ea sunt fide erga Deum præditi, ut quod dicunt ore, ex corde candido & integro dicant.

P S A L M V S C X X V.

Canticum graduum.

CAnitur hoc psalmo in genere de sempiterna protectione fidelis populi Dei, qui firma fiducia à Deo pendens, firma & perpetua custodia Dei munitur.

1  Vi cōfidunt Domino, erunt sicuti mons Sion qui non mouetur, in seculum permanet.

2 Hierusalem, mōtes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi sui, nunc & usq; in seculum.

3 Quoniam non firmabitur sceptrum impietatis super sortem iustorum: ne mittant iusti ad iniquitatem manus suas.

4 Benefac Domine bonis, & ijs qui recti sunt corde suo.

5 Qui uerò peruersitate sua declinant: abducet eos Dominus cum operatoribus iniquitatis, pax super Israelem.

LECTIO

Vers. 1.

Qui confidunt Domino erunt.) Ebr. חבטחים ביתוח ציון לא ימוט לעולם ישב, id est,

Aid est, Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non mouebitur, in seculum sedebit. Græc. & Vulgata latina: Non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. Hieron. Immobiles, in æternū habitabiles. Felix, In æternum habitabit. Pagni. In seculū manebit. Camp. Erunt sicut mons Sion, qui nunquam tolletur de loco suo. Chald. habet, In seculum habitabitur.

Quoniam non firmabitur sceptrum.) Ebrai. *כי לא ינוח שבט הרשע*, id est, Quoniam non quiescet, uel quietum erit sceptrum impietatis. Græc. & Vulgata lati. Quia non relinquet Dominus uirgam peccatorum. Hieron. Quia non requiescet uirga impietatis. Sic & Felix, & Iusti. & Pagni. Camp. Quare non finet sedem figere eum, qui scepro impietatis tyrannidem exerceat.

Qui uerò peruersitate sua declinant.) Ebr. *והמטים על קלקלתם*. Vulgata latin. Declinantes autem in obligationes. Hieron. Qui autem declinant ad prauitates suas. Felix, Declinantes per peruersa eorum. Camp. Illos uerò, qui alijs præcipitia parant.

EXPLANATIO.

Qui confidunt Domino.) Duobus primis uersibus Propheta de eo canit, quod qui spem in Dominum collocant, nunquam subuerti poterunt. Erunt, inquit, illi sicuti mons Sion, qui non mouetur, in seculum permanet. Potest hoc bifariam exponi. Aut simpliciter de monte Sion, qui firmitate sua immotus perstat in seculum, ut ad eum modum & ij, qui spe firma à Domino pendent, quicquid accadat, immoti & erecti consistant, nec ullis tentationibus subuertantur. Aut de cœlesti Sion, ecclesia electorum, ut sicut illa inuicta permanet, ita inuicti perseuerent etiam credentes. Verum meo iudicio prior expositio, ut simplicior, ita & germanior uidetur. Nam posterior rem eandem diuidit, & partem toto comparat. Etenim ecclesia electorum quid aliud est, quàm ecclesia confidentium Domino, qui pars illius existunt? Ut idem sit, ac si dicas: Qui confidunt Domino, erunt sicut ecclesia confidentium Domino.

Hierusalem, montes in circuitu eius.) Et hic uersus priorem expositionem confirmat. Nam, ut in primo firmitatem montis Sion similitudinis uice proposuit, illiq; fiduciam & spem sanctorum, à Domino immotè pendentium comparauit: ita hic situm ciuitatis Hierusalem ad hoc inducit, ut custodiam Dei, qua populum suum uigilantissimè complectitur, considerandam proponat. Hierusalem, inquit, montes habet in circuitu suo. Hac imagine considera mihi diuinam custodiam & protectionem, qua populus Dei cõmunitur. Nam ut Hierusalem montibus circumiacentibus cõtra incursum hostilem munitur, ita est in circuitu populi sui Dominus, ut illum custodia & protectione sua communiat. Itaq; hoc uersu rationem reddit, quare ecclesia sanctorum, populus Dei, confidentes Domino, firmi sint sicuti mons Sion. Propterea uidelicet, quod custodia & protectione Dei muniuntur & conseruantur. Et ut custodiam hanc Dei non temporariam, sed sempiternam esse moneat, addit, Nunc & usq; in seculum. Respondet ei, quod primo uersu dixit, Qui non mouetur, in seculum permanet.

Quoniam non firmabitur sceptrum impietatis.) Sententiæ præmissæ uidebatur ob stare, quod impij in hoc seculo, præualidi & potētes, rerum Domini fideles persequuntur, & ecclesiam cõfidentium Domino subuerrere nituntur. Hos intelligit per sceptrum impietatis, id est, Regnum impiorū. Dicit itaq;: Quoniam non infirmabitur sceptrum impietatis super sortem iustorum. Hoc est, Regnum impiorum non præualebit forti iustorum, non opprimet felicitatem ac hæreditatem fidelium. Quarer? Quia custodiuntur à Domino, ne uicti manus suas ad iniquitatem mittant, hoc est, iniquæ se & impiæ seruisti, scelerum & flagitiorum subiiciant, & impiorum consortes efficiantur.

Benefac Domine.) Apprecationem habet hic uersus. Ah Domine, inquit, Benefac bonis & rectis hominibus, qui corde sunt erga te recto & integro. Adstringuntur in mundo, tu illos amanter complectere, & beneficētia tua solare, ac felices redde.

Verf. 5. *Qui uerò peruersitate sua declinant.*) Perstringit hoc uersu, subdolos, & uafros & hypocritas, qui cum corde à rectitudine bonorū ablint & longissimè, simulant tamen externè religionē Dei. Hos uocat *הַמְּסִימִים*, id est, declinantes & obliquos, idēq; propter peruersitatē cordiū ipsorū. Adiūgit, quale sit illis expectandū à Domino iudiciū. Abducat eos Dominus, inquit, cum operatoribus iniquitatis. Hoc est, iudicabit eos eo iudicio, quo iudicaturus est operarios iniquos, uafros, ac subdolos. Coniungit eos operatoribus iniquitatis, quibus planè sunt similes & ipsi operarij iniqui ac peruersi. Est autē abducere aliquē, nihil aliud, q̃ supplicio tradere: ut perinde sit, ac si dicas: Qui clanculum, quæ aliorum sunt, suffurantur, & à fide bonorum uirorū perfidia sua declinant, hos iudex cum furibus abducat. Addit, Pax super Israelē. Quod uel sic legi potest: Pax sit super Israelē, id est populum Dei: uel sic, Pax erit super Israelē: uidelicet, quando perfidi, peruersi, & impij diuino fuerint iudicio sublati.

OBSER. *Qui confidunt Domino, erunt sicuti mons Sion.*) Obserua hic, quæ sit ueræ fidei ac spei constantia, quam spiritus sanctus hoc uersu similitudine montis firmi & immoti commēdat. Poterat dicere, Qui iusti sunt: uel, Qui perfecti sunt. Verū dicit, Qui confidunt. nec simpliciter, Qui cōfidunt, ne carnis fiduciam: sed, Qui confidunt Domino, ut fidem, spem, & fiduciam, non in carnis brachium, sapiētiam, & uires, sed in Dominum collocatam deprædicet, & tanquam firmam & immotam commendet. Hæc fides rara est, quia electorum est, quorum & prouentus admodum tenuis est, & uita abscondita & despicibilis in oculis mundi.

OBSER. *Hierusalem, montes in circuitu eius.*) Cōsideremus hoc loco, unde sit, quòd ij qui Domino confidunt, nullis possunt tentationibus, nullis impiorum uiribus subuerti. Ex eo uidelicet, quòd protectione & auxilio Dei confirmantur, à quo in omnibus custodiuntur ac defenduntur. Magna quidem est fidei uirtus, uerū nisi diuina uirtute confirmaretur credentis animus, & uita illius custodia Dei cōmuniretur, impar esset tentationibus satanæ, & impugnationibus impiorum. Itaq; constantia nostra ex eo est, quòd nos custodia & prouidentia Dei undequaq; cingit.

OBSER. *Quoniam non firmabitur sceptrum imp.*) Obseruāda est hoc uersu magna cōsolatio omniū iustorū, qui in hoc seculo per impiorū potentiā, & tyrannidē affliguntur. Promittit illis spiritus sanctus haud quāq; futurū, ut regnum satanæ, sceptrū illud impietatis, quod regnat in impijs, sortē ipsorū, quā à Domino acceperūt, pessundet, & ipsos suo dominio subiiciat. Deinde obserua, q̃ non dicit, Quoniā sceptrū impietatis nō impugnabit iustos: sed, Non firmabitur super sortē iustorū. Hoc illi permittitur, ad gloriā Dei, & utilitatē iustorū, ut sortē iustorū impugnet, & cōuellere tentet: uerū infirmi sunt omnes illius conatus, Domino illis resistēte. Tertiò, obserua dictionem sortis. Primū expēde gratiā Dei. Etenim non meriti, sed gratiæ est, quicquid sorte obuenit. Deinde quicquid accadat corporibus, & tēporarijs bonis sanctorū, fors illorū, id est, uera felicitas & hæreditas, haudquāq; tyrannidi impiorū subiicietur. Quartò, & illud expēde, quòd dicit, Ne mittant iusti ad iniquitatem manus suas. Cogitemus hanc esse sortis nostræ firmitatem, quòd à Domino custodimur, ne seruiamus iniquitatī. Seruus enim iniquitatis est, qui manus suas, id est, uitam & omnia acta sua, ad iniquitatē transfert. Quisquis hoc facit, expers est sortis sanctorum.

OBSER. *Benefac Domine bonis.*) Obserua quòd nō dicit, Benefac Domine perfectis, qui nulla in re delinquant: sed, Benefac Domine bonis & rectis corde. Boni sunt & recti corde, qui animo sunt simplici, candido, & integro. Hoc genus hominum Deo est acceptissimum, licet aliquando per infirmitatem peccent & ipsi. Deinde obseruemus Prophetæ erga eos affectum. Sic & nos affici conuenit erga bonos, simplices, & integros homines, quāuis cōtempti sint in hoc seculo.

A Qui uerò peruersitate sua declinant.) Consideremus primùm hoc uersu, q̄ declinantes ac peruersos homines bonis & rectis corde opponit, id quod ocio sum non est. Nam hæc est oppositorum natura, ut se inuicem manifesta reddant. Boni & recti homines in fide Dei simplicitate & integritate sua perstant: contra peruersi & maliciosi, prauitate sua à fide Dei declināt, & mundo sese accommodant. Deinde obserua, q̄ non simpliciter dicit, Qui uerò declinant: sed, Qui uerò peruersitate sua declinant. Etenim aliud est ex infirmitate carnis, animi, uel etiam fidei, tērationibus cedere, & à scopo recti declinare, id quod nonnunquam & sanctis usuuenit: cuius rei uel apostolus Petrus testis est. & aliud, ex malicia, prauitate, & peruersitate cordis uasri ac subdoli, à fide Dei declinare, quod sanctorū esse non potest: est autē omnino hominum malorum & impiorū, quos Deus ex animo detestatur, quamuis conspicui sint in hoc seculo, & plerunq; sancti & iusti esse uideantur. Hoc genus hominum ecclesiam Christi inde ab Apostolorū tempore corripit, & specie sanctimonie decipit. Tertiò, & illud expendo quod dicit, Abducat eos Dominus. Ergo cogemur illos in populo Dei ferre, donec iudicio Dei ad supplicia ducantur. Nihil ad eorum submotionem poterunt boni & recti corde: sed Dominus est, qui illos abducat suo tempore: nimirum, quando separabit malos de medio iustorum, in extremo scilicet iudicio, ubi dicturus est: Ite maledicti in ignē æternum. Quartò, obseruemus etiā hoc, quod dicit: Cum operatoribus iniquitatis. Qua in re cōsiderandū est, q̄ sit diuersum à iudicio mundi futurum iudiciū Dei, in quo illi, qui nunc regnant, & titulis iusticie magni & clari habentur, tanquā operadores iniqui & peruersi ad supplicium æternum abducentur. Qua de re uide uerba Christi Matth. 7. ibi: Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Quintò, & quod subiicit, Pax super Israel, de eo nos admonet, tum demū pacem fore ecclesie Christi plenam & perfectā, quando uiri declinantes, prauī & peruersi, putres pisces, hœdi petulci, & zizania de medio iustorū tollentur, & in sempiternum separabuntur. Tum demum in sempiterna pace ac felicitate, gaudio & læticia quiescet ac deliciabitur uerus Israel, populus electorum & credentium, bonorum & rectorum corde.

PSALMVS CXXVI.

Canticum graduum.

Consolationis gratia uaticinatur spiritus sanctus, fore ut populus captiuitatis magna cum admiratione gentium liberatus à Domino, ingenti sit cum læticia & exultatione ad suam reuersurum.

Cum conuerterit Dominus captiuitatē Sionis, erimus ¹ ueluti somniantes.

Tunc replebitur risu os nostrum, & lingua nostra ² cantu: tunc dicent inter gentes, Magnificē egit Dominus cum illis.

Magnificē acturus est nobiscum Dominus, erimus lætantes. ³

Conuerte Domine captiuitatem nostrā, sicuti riuos aquarum ⁴ in austro.

Qui seminant in lachrymis, cum cantico metent. ⁵

Qui eundo ibat, & flendo portabat traham sementariā, ue- ⁶ niens ueniet cum cantico portans manipulos suos.

Cum conuerterit.) Græc. & Vulgata lati. & Hieron. & Iustinian. & Felix, & ^{LECTIO} Pagnin. & Campensis, legunt alij, In conuertendo Dominus captiuitatem ^{VERS.} Sion: alij, Cum conuerteret Dominus capt. Sion. facti sumus, &c.

Erimus ueluti somniantes.) Ebr. כחלמים. Græc. & Vulg. latin. Sicut consolati. Magnificē

- Vers. 3.** Magnificè acturus est.) Græc. & Vulgata latina, Magnificauit Dominus facere nobiscum. Sic & Hieron. & Iustinian. & Felix, & Pagninus.
- Vers. 4.** Sicut riuos aquarum in austro.) Græc. reddidit, ὡς χειμάρρους ἐν τῷ νότῳ, id est, sicut torrentes in austro. Vulg. lati. Sicut torrēs in austro. Hieron. Sicut riuus in austro. Iustinian. Veluti riuuli in arido. Pagni. Sicut torrēs in arido. Chald. Sicut conuertitur terra, quando abundant fluēta aquarum tēpore siccitatis.
- Vers. 6.** Qui eundo ibat.) Ebraicè, הָלַךְ יָלֵךְ וּבִבְחָנָה מִשֵּׁר הָרֹעִי, id est, Eundo ibat, & flendo portabat traham seminis. Græc. & Vulg. lat. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. Hieron. Qui ambulans ibat, & flebat, portans ad seminandum sementem. Iustin. Ambulans ambulabit, & flebit, portans charum semen. Felix: Iens ibit & flens, portans preciosum semen. Ad eundē modum & Pagninus. Et Camp. Hi enim solliciti ibant, & flentes portabant in sterilem illum agrum semen preciosum iacturi. Isti uocem מִשֵּׁר, sumunt pro יָרָר, id est, preciso: Kimhi Ebraum sequuti, qui ad eum modum exponit: & ut sententiam suam confirmet, locum ex 28. cap. Iob, uersu 18. citat, ubi uocula illa מִשֵּׁר, sic posita legitur, וּמִשֵּׁר הַבְּמִינִים, id est, Et trahit sapientia præ margaritis: quem loquēdi modum latinis incognitum, Germanis familiarem & usitatum esse constat. Illi dicunt, Und die weyßheit zücht den perlen für. Hoc est, Sapientia excellit margaritas. Hunc sensum uidit Kimhi: uerū in eo errauit, quod uoculā מִשֵּׁר, per יָרָר, exposuit hoc loco, cum trahēdi significationem habeat, & in loco iam citato uis excellentiæ, quæ sapientiæ tribuitur, non in מִשֵּׁר, sed in præpositione מִ, uocī מִינִים, præposita comprehendatur. Quapropter relicta uersione illa torta, uisum est simpliciter retinere Ebræe uocis significatum, & reddere ad hunc modum: Qui eundo ibat, & flendo portabat traham sementariam. Et illud Amos 9. paulo ante calcem capitis: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & continget arator messorē, & calcans uuas בְּמִשֵּׁר הָרֹעִי, legendum arbitror, traham seminis, uel sementariam. Alij reddūt, Portantem semen. Verū uox מִשֵּׁר, non significat portare, sed trahere: & in Ebræo nō est מִשֵּׁר, sed מִשֵּׁר, quod æquē poterat punctari מִשֵּׁר, atque מִשֵּׁר. Felinus sic reddidit præsentem uersum: Cum irent seminatum, ibant & flebant, tollentes uasa seminaria, Tigurina quoq; Qui portat uas seminarium, perget flendo.

EXPLANATIO.

Cum conuerterit Dominus captiuit.) Manifestè loquitur Psalter, de captiuitate Sionis, id est, populi & ecclesiæ Dei. Non abnuo de Babylonica posse intelligi. Nam quæ Burgensis contra eam sententiam adducit, parum habent ad refellendum momenti. Nec necesse est, ut disceptemus. Nihil autem impedit, quo minus & de ea captiuitate admoneamur, in qua Sion etiamnum tenetur, donec plenitudo gentiū intrauerit, & impleantur tēpora nationum. Quod si quis captiuitatē ecclesiæ Christi sentit, habet & ille quæ hic cogitet.

Cum conuerterit Dominus capt.) Quasi de ipsa conuersione certus, de eo canit, quid euenturum sit populo Dei, ubi se liberari uiderint. Erimus, inquit, ueluti somniantes. Hoc est, Tam eueniet nobis ea conuersio ex improviso, ut simus illam initio non ueram, sed imaginariam, & uelut in somno propositam, iudicaturi.

- Vers. 2.** Tunc replebitur risu os nostrum.) Quasi dicat: Qui nunc in mœrore ac luctu sumus, tunc erimus gaudentes: quorū nunc oculi lachrymis abundant, horum tunc lingua cantico replebitur. Tunc dicēt inter gētes, Magnificè egit Dominus cum illis. Hoc est: Tam erit liberatio nostri stupenda & admirabilis, quā nunc captiuitas nostra uidetur insolubilis, sicut gentes ipsæ magnificentiam Domini agnituræ sint & admiraturæ.
- Vers. 3.** Magnificè acturus est nobiscū Dominus.) Quasi dicat: Non liberabit nos tantū, sed sic liberabit, sicut ipsius conuenit magnificentiæ. Nominis sui gloriam uindicabit. Declarabit in medio gentium esse se Deum saluandi. Ex abundantia affectus, repetit de futuro gaudio, dicens, Et erimus lætantes.

Conuertere

A *Conuertere Domine captiuitatem nostram.*) Id quod fide certa futurum credebatur, eadem fide, ut fiat, precatur. Addit, Sicuti riuos aquarum in Austro. Quasi dicat: Sumus nunc omni rerum iucunditate & prosperitate destituti, consimiles solitudini, cui propter solis aestum exarefacti sunt torrétes. Tum uerò exhilarabimur, & omnis generis prosperitate abundabimus, quando captiuitatem nostram conuerteris, perinde ac si riuos aquarum locis desertis in Austro dederis.

Vers. 4.

Qui seminant in lachrymis.) Duobus istis uersibus discriminat inter tempus captiuitatis, & tempus liberationis: futurum asserens, ut ex illius miseria & calamitate magnum sint emolumentum consequuturi. Vitur autem similitudine sementis & messis, omnium accommodatissima. Inamœna res est, immò molesta, & lachrymis magis quàm gaudio uicina, seminare, & traham in agrum deportare, qua semen tellure obducatur: contrà omnium iucundissimum est, tempore messis, quod seminatum est, magno cum scœnore demerere, & cum manipulis domum reuerti. Sic dicit: Qui seminant in lachrymis, id est, cum labore & molestia: illi metunt cum gaudio, ubi maturitas messis uenerit. & qui in agrum traha seminaria onusti, lachrymabundè magis quàm letabundi subinde exeunt, illi tempore messis cum cantico domum, uberem laborum suorum fructum reportantes, reuertuntur. Ad eum modum accidet & nobis, cum lachrymis abducti sumus in captiuitatem: uerum ubi hanc Dominus conuerterit, reuertemur cum gaudio, non uacui, sed opibus, quasi manipulis, cumulati.

Vers. 5. & 6.

Cum conuerterit Dominus capt. Sionis.) Primùm illud cogitemus, eousq; progressi disciplinam Domini, ut populum suum, ubi nullis admonitionibus & castigationibus emendari sustinet, in captiuitatem, id est, potestatem infidelium, tradat, ut uel hoc pacto humiliati resipiscant. Deinde eam captiuitatem populi Dei, non esse ad hoc destinatam, ut sit perpetua: sed paratam esse illius conuersionem, ubi gloriæ Dei fuerit opportunum. Tertio, esse illam conuersionem in manu Dei. Non dicit, Cum conuersa fuerit captiuitas Sionis: sed, Cum conuerterit Dominus captiuit. Sionis. Quarto, & illud obserua, quod dicit, Erimus ueluti somniantes. Admonemur, sic succurrere Deum pijs, dum adfliguntur, ut ex improuiso liberentur: & se non liberari, sed somnium uidere putent. Sic accidit & Petro, cum per angelum è carcere liberaretur, Act. 12. Sic & Gen. 45. Iacobo accidisse legimus: cui cum diceretur, Ioseph filius tuus uiuit, & ipse dominatur in omni terra Aegypti, quasi de graui somno excitatus, non credebatur, donec certis argumentis persuaderetur.

OBSER.
Vers. 1.

Tunc repletur risu os nostrum.) Obserua duobus istis uersibus, quomodo Vates de futura liberatione nihil eorum quæ euentura erant, nec de modo illius quicquam commemoret, quàm simpliciter ista: Replebitur risu & cantico os nostrum: erimus lætantes, & liberatio nostri erit magnifica. Reliqua committit Deo: ac putat esse abundè satis ad consolationem captiuorum, si ista credant & expectent. Ad eum modum & nobis est cogitandum. Promittuntur filijs Dei magnifica & uehementer læta: Ecce serui mei lætabuntur, & uos confundemini: ecce serui mei gloriabuntur præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis. Esa. 65. Et apostolicæ literæ pollicentur gloriā, gaudium, & exultationem in futuro: res ipsas uerò, unde gauisuri sumus, non ita exprimunt. Sit ergo & nobis ad consolationem sufficiens, quòd gaudebimus olim qui nunc lugemus, etiam si curiositati nostræ non fiat satis, quæ perpetuò ad præscientiam non necessariam adspirat.

OBSER.
Vers. 2. & 3.

Conuerte Domine captiuit.) Admonemur hic, quomodo pii, quæ futura credunt, & credentes expectant, precibus à Deo postulent. Huiusmodi precatio primùm admonet, esse illa gratiæ Dei, non meriti nostri: deinde esse ea non solum credenda, sed & ardentis desiderio expetenda & oranda. Nos credimus uitam æternam. Desideremus etiam illam, & ex corde petamus.

OBSER.
Vers. 4.

Qui seminant in lachrymis.) Obseruandæ sunt hæ similitudines, primū torrentium

OBSER.
Vers. 5. & 6.

tium Austri, deinde sementium & metentium: quibus admonemur, esse uices mororis & gaudij, rerum tristium & lætarum. Itaq; cogitemus in afflictionibus, eum qui riuos aquarū conuertit in Austro, & torrentes aestu exicatos, cœlesti pluuiā reddit abundantes, & seminātis molestiam & laborem mutat in messem uberem, & læticia plenum, quascūq; afflictiones nostras, olim magnificentissimè in tempora gaudij & exultationis mutaturum. Cogitemus inquam, tribulationes huius temporis esse fidei & patientiæ sementem, unde suo tempore messem reportaturi simus ueræ ac sempiternæ felicitatis, si in fide constantes perstiterimus. Sic uisum est Deo, ut messem gaudij sementis molestia præcedat: & priores sint pafsiones, posteriores gloriæ.

PSALMVS CXXVII.

Canticum graduum, Salomonis.

Vanam esse omnem curam, & conatum ædificandi, laborandi, custodiendi & uigilandi, nisi Dominus ipse ædificet, custodiat & uigilet, canit hoc psalmo Vates, siue Dauid, siue Salomon.

- 1  Ipsi Dominus ædificauerit domum, frustra laborat qui ædificat eam: nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat custos.
- 2 Frustrā uobis est, quod mane surgitis, tardè quiescitis, panem dolorum manducatis: sic dat dilecto suo somnum.
- 3 Ecce hæreditas Domini filij sunt: merces, fructus uentris.
- 4 Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij iuuentutis.
- 5 Bene illi uiro, qui impleuit pharetram suam ipsis: non confundentur, cum loquentur inimicis in porta.

LECTIO Tardè quiescitis.) Ebr. מאחר שבת, id est, tardantes, uel differētes sessionem, D
 Verf. 2. aut quietem. Græc. & Vulgata lati. Surgite postquam federitis. Hieron. sic, Postquā federitis. Iustini. Detenti sessione. Felix, Retardantibus sedere. Sic & Pagni. Et Camp. Qui sursum ac deorsum cursitantes, sedere recusaueritis. Sic dat dilecto suo somnum.) Ebraicè, בן יתן ליריו שינה, positum est שינה, per Aleph. Græc. & Vulgata lati. Cum dederit dilectis suis somnum. Hieronymus, Sic dabit diligentibus se somnum. Felix, Sic dabit dilecto suo somnium.

Verf. 4. Ita filij iuuentutis.) Ebraicè, בן בני הנערים. Græc. & Vulg. lat. Ita filij excusorum. Sic reddiderūt, quoniam uerbum נער, etiam excutere ac præcipitem dare significat. Felix, Sic filij adolescentiarum. Pagninus, Ita filij iuuentutem, Camp. uertit, Filios adolescentes.

Verf. 5. Qui impleuit pharetram suam.) Ebr. מורשתו. Græc. & Vulg. lati. Desiderium suum. Chal. אשתו, id est, scholas suas. Reliqui uertūt, Pharetrā suam. Non confundentur, cum loquentur.) Ebr. לא יבשו בי ירברי. Vulgata lati. Non confundetur, cum loquetur. Sic & Iustinian.

EXPLANATIO.

Dauid Kimhi psalmū hunc trifariā exponit. Primū de Salomone, deinde de Messiah, tertio in genere de quibusuis ædificantibus, ciuitatum custodibus, anxie laborantibus, mane surgentibus, & tardè ad quietem redeuntibus. Mihi uidetur hunc esse psalmum specialiter ad hoc deputatum, ut in dedicationibus ædium, quæ ludæis in usu fuerunt, caneretur, quo mētes ædificantium ac laborantium ad prouidentia Dei fidem dirigerentur.

Verf. 1. Nisi Dominus ædificauerit domū.) Hoc dicit: Omnia sunt in manu Dei sita. Frustrā est omnis humana diligentia, nisi diuina accedat prouidentia. Vanus est labor ædificantium, uana est cura uigilantium & custodientium, nisi Dominus ipse ædificet & custodiat.

Nisi

A Nisi Dominus custodierit ciuitatem.) Pertinet hoc ad magistratus administrationem, cuius est custodire ciuitatem. Nec illius, inquit, potentia sufficiens est ad custodiam & protectionem ciuitatis, nisi Dominus sit custos.

Frustra uobis est, quod manè surgitis.) Per apostrophē alloquitur eos, qui neglecta diuinæ prouidentiae fide, anxij sunt in acquirendo uictu, quasi necessaria alimonia ab humana cura & solitudine pendeat. Horum curam & solitudinem per id exprimit, quod dicit eos manè surgere, tardius ad quietem redire, & panem dolorum comedere. Huiusmodi anxietatis uanitatem perstringit, dicens: Frustra uobis est, quod manè surgitis, &c.

Vers. 1.

Illud, Sic dat dilecto suo somnum: una cum sequentibus, ad finem usque psalmi, ad fideles, Deo dilectos pertinet: qui ut fide à Deo pendent, ita etiam illius prouidentiae beneficijs sine ulla anxia cura & solitudine potiuntur. Poteest autem hæc particula bifariam exponi. Primum sic: Sic dat dilecto suo somnum, id est, Quicquid habet dilectus, dono ipsius habet, acceptum ab eo, quasi in somno, sine ulla præuia cura & solitudine, sine ullo anxio labore & negotio. Vt uox יָנַח idem sit hoc loco, quod dormiendo, uel inter dormiendum. Deinde ad hunc modum: Sic dat dilecto suo somnum, id est, iucundam ac tranquillam quietem, cor liberum à nimia cura & solitudine.

Ecce hæreditas Domini.) Tribus istis uersibus donū illud Dei prædicat Vates, quod uiro pio dantur filij, fructus uentris. Vocat illos hæreditatem & mercedem Domini, ut donum Dei exprimat. Versu quarto comparat eos sagittis, quæ sunt in manu potentis, quibus ille terrori est inimicis suis. Sic sunt, inquit, filij iuuentutis, id est, filij iuuenes, ueluti protectio patris. Intellige, si sunt pii. Clarius explicat similitudinem uersu ultimo, dicens: Bene illi uiro, qui impleuit pharetram ipsis, hoc est, Qui perinde munitus est filiorum copia & tutela, atque munitus est uir belli, pharetram habens selectis iaculis refertam. Non confundentur, inquit, cum loquentur inimicis in porta. hoc est, Vbi disceptandum est iudicio (nam in portis exercebantur iudicia) non facile erunt uiolentie obnoxij, qua causa sua cadant, & repressi confundantur.

Vers. 3. 4. & 5.

Nisi Dominus ædificauerit domum.) Obserua, quomodo primum ædificationem domus ponat, deinde custodiam ciuitatis subiūgat. Sicut ex partibus totum, ita ex domibus ciuitas constat. Capitur autem domus non solum pro ædificio, sed & pro familia: ut ædificatio domus sit, structura ædium, acquisitio & moderatio familiæ. Et custodia ciuitatis sit, non solum nocturna illa, quæ uigilum excubijs: sed & uniuersa illius gubernatio, quæ cura & uigilantia magistratus perficitur. Pertinet itaque ædificatio domorum ad ciuitatem, tanquam pars ad totum: & rursus custodia ciuitatis ad conseruationem domorum, tanquam totum ad partes. Et ad hanc normam conuenit etiam sentire de Ecclesia, quæ fidelium coniunctione & ædificatione constat.

OBSER.

Vers. 1. & 2.

Deinde consideremus & illud, quod omnem curam & laborē hominum, tam priuatorum, quam publicorum: tam partes ciuitatis, quam totum concernentem, sic inanem & inefficacem esse canit Vates, ut nisi Dominus ipse sit in opere ædificandi & custodiendi, frustra laboret, & qui ædificat, & qui custodit. Et uide, quomodo loquatur. Non dicit, Nisi Dominus consenserit, & illius uoluntas fuerit, ut ædificetur domus, & custodiatur ciuitas: sed, Nisi Dominus ædificauerit, nisi custodierit. Ergo ad hoc, ut prosperè & foeliciter ædificetur & custodiatur, non solum consensus Dei necessarius est, sed & operatio illius requiritur: eaq; talis, sine qua nihil sit, quicquid ab homine fiat. Non dicit, Nisi Dominus adiuuerit: sed, Nisi Dominus ædificauerit, nisi custodierit. hoc est, Nisi ipse omnia fecerit. Nec dicit, Parum efficaciter laborat & custodit: sed, Frustra laborat: uterque, & ædificator & custos. Ergo omnis efficacia laborum & curarum ab operatione & prouidentia Dei pendet, & inanis est per se omnis humana uirtus, cura, & industria.

Tertiò notandum est, quod non dicit, Quoniam Dominus ædificat domum, frustra laborat, qui ædificat eam, & Quoniam Dominus custodit ci-

Ppp uitatem,

uitatem, frustra uigilat custos: sed, Si Dominus non ædificauerit domum, si non custodierit ciuitatem, frustra laborat, qui ædificat domum: frustra uigilat, qui custodit ciuitatem. Tam abest ergo, ut inanis debeat censerì cura & opera humana, quæ domibus ædificandis, & ciuitatibus custodiendis impenditur, propterea quòd Dominus ædificat & custodit, ut magis tum potissimum sit utilis & efficax, quando ipse Dominus ædificator est, & custos. Non patrocinator spiritus sanctus ociosis & inertibus hominibus, sed laborantium animos ad prouidentiam & uirtutem Dei dirigit, ut operando & laborando omnem fidem & spem operis in illam conijciant, non ut ab opere desistant. Qui dicit, Nisi mens hominis scribat, frustra laborat manus: non auocat manum ab opere, sed mentis curam, uigilantiam, ac directionē illi necessariam esse docet, ne gloriam operis ad se trahat. Ad eum modum & hic sentiendum est, non id agi à spiritu sancto, ut auocet ab opere ædificantes domos, & ciuitatem custodientes: sed ut admoneat eos, omnem operis efficaciam & successum pendere à Deo, quo in fide prouidentiae Dei ædificent & custodiant: & omnem gloriam efficaciae non sibi, sed Deo tribuant. Retunduntur ergo & ignaui homines, qui præpostero modo sic Deo tribuunt omnia, ut ipsi sint ociosi ac desides, & interea aliorum laboribus utantur: & operatores illi, qui sine fide Dei operantes, omnia suis laboribus & curis accepta ferunt, & immodica sollicitudine excruciantur. Etenim ut Deo non operante, nihil efficit opus humanum, sic homini ocioso non opitulatur auxilium diuinum. Est igitur & illud, quod uersu secundo canit, Frustra est uobis, quòd manè surgitis, tardè quiescitis, panem dolorum manducatis: non aduersum eos dictum, qui fide prouidentiae Dei laborant, & ocium uitant: sed contra carnis immodicam & anxiam sollicitudinem, quæ ex eo nascitur, quòd animus fide diuinæ bonitatis, operationis, & prouidentiae caret.

Sic dat dilecto suo somnum.) Cogitemus hic, quantum sit donum Dei, quo animus hominis & interdiu fide diuinæ prouidentiae alacris est in opere: & noctu, curis omnibus reiectis, quietus in somno. Huiusmodi somnum dat Dominus, inquit. Quomodo? Dum dat animum fidelem. Cui dat: Dilecto suo, inquit, hoc est, cui ipse bene uoluerit. Bene uult autem illis omnibus, qui syn-
D
cera fide à se pendent.

OBSER. *Ecce hæreditas Domini, filij sunt.*) Locus hic non est de quacunque prole simpliciter accipiendus, sed de filiis illis, quos homini pio Deus studio beneuolentiae, tanquam singularem quandam hereditatem, pietatisq; mercedem ac fructum largitur. Alioqui si sint filij impij, quis non uidet, esse illos magis iræ, quàm gratiae Dei adscribendos: & illorum copiam hoc esse infeliciorem, quo est numerosior ac diuturnior? Admonet ergo spiritus sanctus quosuis parentes, ut gratiae ac prouidentiae Dei etiam hac in re rationē habeant: sciantq; tum se foeliciter fore foecundos, quando pia prole donantur à Deo.

Sicut sagittæ in manu potentis.) Obseruemus hic & obsequentiam & usum piæ sobolis erga parentes. Conuenit, ut sint filij parentibus ad manum, sicuti uiro potenti ad manum sunt sagittæ. Conuenit, ut sint sustentatio & protectio parentum, quo usu uiro belli sunt sagittæ. Hic usus filiorum non est nisi piorum. Nam proles impia, magis est subuersio, quàm protectio parentum: & conformior iaculis in manu aduersarij, quàm in manu parentum constitutis.

Non confundentur, cum loquentur inimicis in porta.) Primum illud obserua, quòd non dicit, Cum uim inferent: sed, Cum loquentur inimicis in porta. Loqui inimicis in porta, est innocentiam suam iustis rationibus tueri, & calumniam æquitate iuris reprimere. Possunt hoc pij facere, absque ulla uindictæ cupidine. Deinde consideremus, quòd dicit, Non confundentur. Est er-

go & hoc donum Dei, si dederit, iustis rationibus
publicam uitare confusionem,

A

PSALMVS CXXVIII.

Canticum graduum.

Commendat hic psalmus eorum felicitatem, qui Dominum timent, & uoluntati illius studentes, in uia mandatorum ipsius ambulant.



Felix est, quisquis Dominum timet, & in uis eius ambulat.

Laborem manuum tuarum cum manducas, felix tu, & bene tibi.

Vxor tua sicut uitis frugifera in lateribus domus tuæ: filij tui sicuti plantulae oliuarum in circuitu mensæ tuæ.

Ecce, nam sic benedicitur uir, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus à Zìyon, & uideas commoda Hierusalem omnibus diebus uitæ tuæ.

Et uideas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

In lectione huius psalmi nihil est uarietatis, nisi quòd illud in uersu quarto, Ecce, nam sic: in uulgat. Lat. & Græco sic legitur, Ecce sic benedicitur: ommissa uocula **כי**. Deinde quod in fine est, Pacem super Israel: etiam legi potest, Pax super Israel. hoc est, Pax sit Israeli. Sicut & supra est psalmo 125. posita hæc particula, **שלום על ישראל**.

EXPLANATIO.

Apparet hunc psalmum in Ecclesia Israelitarum, nuptijs benedicendis fuisse destinatum. Cuius rei argumentum non solum id præstat, quòd statim secundo & tertio uersu uerba ad maritum, uel sponsum uertuntur: sed & duobus ultimis benedictio adiicitur, qua illi omnis generis prosperitas, & nominatim felicitas sobolis optatur.

Felix est.) In genere commendatur omnium eorum felicitas, qui Dominum timent, & in uis eius ambulant: ut & ea quæ subiiciuntur, illi demum speranda esse admoneatur, qui cum timore Dei, & ueræ pietatis studio, in ordine matrimonij uiuit. Quasi dicat Psalter: Vis esse in matrimonio tuo felix? Time Dominum, & ambula in uis eius, non in uis impiorum, & eris felix. Etenim felix est, quisquis Dominum timet.

Laborem manuum tuarum.) Alloquitur Psalter ipsum sponsum, & hunc in eo primum confirmat, ut non tam molestiam laborandi, ubi ipsi proprio labore partis uiuendum, & domus alenda est, quàm eius rei felicitatem consideret & expendat. Laborem, inquit, manuum tuarum cum manducas, felix es, & bene tibi. Quasi dicat: Inter reliqua commoda, quæ diuino munere timentibus Dei contingunt, etiam hoc censeretur debet, quòd datur illis, ut non de alieno, sed de suo: id est non malis artibus, sed iustis laboribus acquisito, uiuant, & suos alant. Quod si cui datur, felicitatis loco censendum est: tam abest, ut miseriæ deputetur.

Illud, Felix tu, & bene tibi: eiusdem rei geminationem habet, & amplificationem. Ebraeorum quidam exponunt per diuisionem: Felix eris in hoc seculo, & bene tibi erit in futuro.

Vxor tua sicut uitis.) Hoc uersu progreditur Psalter ad eas molestias mitigandas, quæ proueniunt ab uxore & liberis: & admonet etiam illic tam esse præclara commoda timentibus Dei, ut felicitati res ea, non infelicitati sit tribuenda. Vtitur autem similitudine, primum uitis frugiferae & domesticæ, deinde plantarum oliuæ. In utrisque & magna est utilitas, & iucundissima mentis oblectatio: unde fit, ut nemo se infelicem iudicet, si quid laboris sit in cultu uitis frugiferae, & plantularum oliuæ perferendum. Ad eum modum & pij maritac patrisfamilias animus est comparatus, ut se felicem esse iudicet, si habeat

Ppp 2 uxorem

uxorem honestam & fecundam, domus sue ornamentū, & totius uitæ confortem, & prolem iuxta piā & morigeratam.

Verf. 4. Ecce, nam sic benedicitur.) Hoc dicit: Ecce, id est, ista animaduerte & expende. Nam ex benedictione Dei proueniunt, cuius donum est, & de proprio labore uiuere, & domum habere honesta & fecunda uxore ornatam, & filiorum copia refertam.

Verf. 5. & 6. Benedicat tibi Dominus à Zìjon.) Hæc est apprecatio diuinę benedictionis, qua Psaltes piorum coniugia cohonestat. Apprecatur autem pio marito ac patrifamilias primū id felicitatis, ut omnibus diebus uitæ sue uideat commoda Hierusalem, ciuitatis uidelicet & populi Dei. Intelligit autem publica bona pacis & tranquillitatis: deinde & fertilitatis, & iudicij & iustitiæ, & puræ religionis, & si qua alia sunt eiusmodi. Deinde apprecatur illi & longæuam uitam, & prolis fertilitatem. Et uideas, inquit, filios filiorum tuorum. Illud in uersu quinto, Benedicat tibi Dominus à Zìjon: ab alijs legitur, Benedicat tibi Dominus ex Zìjon. Qui sic legunt, exponant ad hunc modum: Faciat te Dominus participem earum benedictionum, quibus Zìjoni ciuitati ac populo suo benefacit. Si legerimus, Benedicat tibi Dominus à Zìjon: simpliciter intelligemus, uocari Deum Israelis Dominum à Zìjon, propter sedem habitationis, quam sibi in ea ciuitate delegerat. Et illud in fine, Pacē super Israel legendum est, Et pacem super Israel, unā uidelicet cum filijs filiorum tuorum uideas. Si cui legendum uidetur, Pax super Israel: intelligatur esse uotum, & appreciationem Psaltis, optantis Israeli pacem à Domino.

OBSER. Felix est, quisquis Dominum timet.) Quæ hic obseruanda sint, uide supra psal. 12. *Verf. 1.* Illud hic obserua, quod uniuersaliter omnes eos felices esse prædicat, qui Dominum timent. Felix est, inquit, quisquis Dominum timet. Sic confut sit spiritus sanctus singulis Dei timentibus, quocumq; sint loco & statu, dum omnes in uniuersum timentes Dei affirmat esse felices, ne qua sit cuiuspiam ex illis hæsitatiōis occasio.

OBSER. Laborem manuum tuarum cum manducas.) Primū illud obseruemus, quod cum *Verf. 2.* timentes Dei non solum in hac, sed & futura uita felices existant, eius generis felicitatem spiritus sanctus proponit hoc psalmo: quæ utique non future, sed præsentis uitæ tantum est. Ut manducare propriū panem, & domum habere uxore honesta fertilem, & numerosa prole cumulata, & pacem publicam, & filios filiorum in huius uitæ diebus cernere. Habent hæc commoditatem præclarā: sed talem, quæ huius præsentis uitæ spatijs includatur. Quæsierit igitur quisquam, quare non magis de sempiterna illa timentium Dei felicitate canat, quam in futuro seculo consequentur. Respondendum est: Attenuauit se spiritus sanctus dispensationi Ecclesię illius, quæ quoniam adhuc imbecillior erat, quā ut solido cibo aleretur, præsentis uitæ commodis, quasi lacte quodam, ad pietatis studiū prouocabatur: unde plena sunt eiusmodi promissionibus eloquia illa Dei, quæ ad Israelis captum sunt dispensata. In nouo Testamento parum de præsentis uitæ commodis, plurimum uerò de futuri seculi felicitate proponitur. Nam hic agitur cum populo non carnaliter, sed spiritualiter affecto: cuius animus beneficio spiritus Christi imbutus, terrena quidem commoda, quatenus necessitas requirit, non abiicit, uerū interea noctes ac dies ad cœlestia contendit.

Deinde considerandum est, quod non dicit, Cum manducas & bibis, felix tu, & bene tibi. Non deputat hoc felicitati, si manducemus & bibamus: quod abunde faciunt in hoc seculo homines impij, & nihil minus quā timentes Dei, quorum uox est: Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Sed admonet referre, unde quis comedat et bibat. Quis enim cordatus dicat eum esse foelicem, qui ex illicito manducat: & quod possidet, bona cum conscientia possidere non potest. Non dicit, Laborem manuum alienarum: sed, Laborem manuum tuarum manducas. hoc est, Panem honesto labore tuo acquisitum manducas. Excluduntur ergo omnes illi, qui uiuunt alienis sudoribus,

A ribus, uel rapto, uel usura, uel furto, uel fraude ac perfidia, uel hypocrisi, & falso religionis prætextu, ad se translatis.

Diceret aliquis: Ergo & illi uiuunt ex illicito, qui non laborant manibus suis: utpote qui sunt in magistratu, & ministerio uerbi: & diuites, qui paternis bonis sic abundant, ut non sit ipsis necesse, manuum suarum labore quærere, unde uiuant. Respondeo: Non est hic animus Psaltis. Non loquitur illis, quibus ea quæ necessaria sunt, recte administrantur aliunde, propter officij, quod exequuntur, uocationem, & usum necessarium: sicut nec de illis, qui quoniam operari non possunt, aliorum laboribus sustentantur: ut sunt paruuli, stulti, infirmi, pauperes, senes, & si qui alij sunt eius generis hominum. Nemo horum ob id infelix est, quod non de suis, sed aliorum laboribus uiuit. Spiritus sanctus loquitur in genere cum illis, qui se matrimonio iungunt, & patres familias esse uolunt. Horum conditio est (exceptis qui publico seruiunt) ut iustis laboribus quærant, unde uiuant. Et cum hoc faciunt, tam non sunt ob laborandæ molestiam infelices censendi, ut se magis hoc ipso nomine felices iudicare debeant, quod manuum suarum labore uiuunt, & suos nutriunt.

Tertiò cõsideremus & illud, quod dicit, Felix tu, & bene tibi. Quæramus, qua in re sita sit ista felicitas: cum sit nec in labore manuum, quæ magis molestiam habet, quàm felicitatem: nec in cibo & potu, quibus impij plerunque abundant magis, quàm timentes Dei. Felicitas ista primùm in eo est, quod qui de suo ipsius labore (modò honesto) uiuit, bona cum conscientia ex illo manducat & bibit. Est autem conscientia rectæ & integræ bonum inestimabile. Deinde, panem comedit non iurgiorum ac disceptationum, sed pacis & quietis. Sic Apostolus iubet, cum quiete operari Christianum manibus suis, quod honestum sit, & suum ipsius panem manducare. Tertiò, nemini uictus gratia seruiliter obstringitur, non cogitur ab aliorum pendere gratia & beneuolentia: sed de suo sic uiuit, ut & alijs impertire possit. Huc respicit illud: Beatius est dare, quàm accipere. Quartò, Experitur benedictionem Domini, per quam labores suos prosperari sentit, unde in fide diuinæ prouidentia alitur ac prouehitur. Quinto, quod & ipsius, & domesticam conuersationem attinet, multis tentationibus & occasionibus scelerum liberatur, dum laboribus suis & ipse & domestici eius incumbunt: quibus obnoxij sunt illi, qui in ocio uiuunt, & alienis laboribus faginantur. Sextò, quod & corpus ipsum, laboribus occupatum attinet, utique bene est timenti Dei, & laborem manuum suarum comedenti. Nam ipsa hoc docet experientia, esse laborantium corpora plerunque saniora & firmitiora, quàm sunt ociosorum hominũ: quorum corpora, tanquam ocio & luxu corrupta, & multis morbis sunt obnoxia, & nullius laboris patientia. Qui operatur, comedit esuriens, bibit sitiens, dormit fessus. Omnia hæc & utiliter & firmiter cedunt corpori laboranti, diuersimodè uerò ocioso. Qui hæc & alia consimilia expendit, facile intelligit, quomodo uerum sit, quod Psalter dicit: Laborem manuum tuarũ cum manducas, felix tu, & bene tibi.

Vxor tua sicut uitis frugifera.) Obseruemus hic, statum matrimonij legitimĩ **OBSER.** deputari felicitati eorum qui Dominum timent, & commendari benedictio. **Vtrf. 3. & 4.** ne diuina. Ecce, nam sic, inquit, benedicitur uir, qui timet Dominum. Damnatur hac spiritus sancti sententia, omnis illa præpostera religio hominum superstitiosorum, & plerunque carnalium, qua matrimonium legitimũ, à Deo institutum, benedictum, & consecratum, timentibus Dei utile & commodum, iam est aliquot seculis, quasi immundum sit, & timentibus Dei noxium, instigante spiritu satanæ reprobatur, & Ecclesiæ ministris negatur. Audis hic uirum timentem Dei, audis illius uxorem, eamq; fecundam, audis filios: audis iucunditatem & utilitatem cum uxoris, tum liberorum, in similitudine uitis frugiferae, ac latera domus ornantis, & plantularum oliuæ, mensam circundantium: audis expressè, & cum singulari admonitione, sic benedicì à Deo uirum, qui ipsum timent, Ostendant tale testimonium de cõe-


libatu suo omnium spurcissimo, quotquot sacrosanctum coniugum ordinem in filiis Dei damnant, & interim scortis cohabitant, uel adhuc deteriora ac scelestiora committunt. Scortum in domo misogami, sicut spina est, filij sicut tribuli, non ornantes, sed dedecorantes & domum & mensam: non reddentes felicem, sed prorsus infelicem. Nam ecce sic maledicatur uir, qui Dominum non timet.

OBSER. Benedicat tibi Dominus à Zìjon, & uideas comoda Hierusalem omnibus diebus uitæ tuæ. *Vers. 5. & 6.* Et uideas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.) Obseruemus hic, qualem benedictionem optet Psaltes coniugibus pijs, ac Dei timentibus. Talem uidelicet, quæ & publicam, & priuatam felicitatem includat. Facit itaque non solum ad domesticam, sed & ad publicam felicitatem, si status legitimi matrimonij uersetur in timore Dei, ac rite seruetur. Alioqui uanum esset, quod hic Psaltes optat. Non potest fieri, ut male habeat ciuitas, in qua sunt ciues timentes Dei, & status coniugum sancte ac legitime seruetur. Contrà, ubi obtinent cynædi, mœchi, Sedomitæ, scortatores & adulteri, homines flagitiosi, nullo timore Dei præditi, ibi nec est Hierusalem ciuitas Dei, nec benedictio Domini à Zìjon, nec felix rerum status: sed Babylon ciuitas confusionis, maledictio satanæ, & infelicissima omnium rerum confusio. In qua ciuitate citò eximi ex hac uita, multo est felicius, quàm uidere filios filiorum, & iram Dei quotidie grassantem,

PSALMVS CXXIX.

Canticum graduum.

Gloriatur populus fidelium, auxilio Domini factum esse, ut nihil contra se conatus impiorum efficere potuerint.

- 1  Aepe adflixerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel.
- 2  Sæpe adflixerunt me à iuuentute mea, uerum non præualuerunt mihi.
- 3 Supra dorsum meum ararunt aratores: protraxerunt sulcum suum.
- 4 Dominus iustus, concidit funes impiorum.
- 5 Confundantur, & auertantur retrorsum, omnes qui oderunt Zìjon.
- 6 Fiant sicut gramen tectorum, quod priusquam euellatur, arcescit.
- 7 De quo non implet manum suam, qui metit: nec sinum suum, qui manipulos colligit.
- 8 Nec dicunt prætereuntes: Adsit uobis benedictio Domini, benedicimus uobis in nomine Domini.

LECTIO. Sæpe adflixerunt me.) Ebr. צררני. Græca, ἐπολέμισάν με. Vulgata Latina, Expugnauerunt me. Sic & Hieronymus, & Felix. Iustinian. Oppugnauerunt me. Pagnin. Multum angustijs affecerunt me. Camp. Vehementer nocere conati sunt mihi.

Vers. 2. Verum non præualuerunt mihi.) Ebr. לא יבלי לי גם, id est, Etiam non ualuerunt mihi. Græc. & uulg. Lat. Etenim non potuerunt mihi. Hieron. Sed non potuerunt mihi. Pagnin. Etiam non præualuerunt mihi.

Vers. 3. Supra dorsum meum ararunt aratores.) Ebraice, חרשו חרשום. Græca, & uulgat. Latin. Fabricauerunt peccatores, Hieronymus: Supra ceruicem meam arabant arantes,

Protraxe-

A Protraxerunt sulcum suum.) Ebr. חֲרִירִי לַמֵּעֲנִיתִּים. Græc. & uulg. Lat. Prolongauerunt iniquitatem suam.

Concidit funes impiorum.) Ebr. עֲבֹת רָשָׁעִים. Græc. & uulg. Lat. Ceruices peccatorum. Hieron. Laqueos impiorum. Felix, Iugum impiorum. Cætera satis conueniunt.

EXPLANATIO.

Sæpe adflixerunt me à iuuentute mea.) Absoluatur hic psalmus duabus partibus: Vers. 1. & 2.
Prima continet priores quatuor uersus, quibus populus Dei contra quosuis inimicorum suorum conatus diuino se auxilio sæpenumero seruatum esse gloriatur. Altera absoluatur reliquis quatuor postremis uersibus, quibus omnibus osoribus Zijonis & confusionem & interitum imprecantur.

Primis duobus uersibus hortatur Israellem Psaltes, ut dicat, Sæpe adflixerunt me à iuuentute mea, uerum non præualuerunt mihi. Iuuentutem Israelis intelligunt quidam tempus illud, quo in Aegypto detinebatur. Ab eo se canit Israel sæpenumero ab inimicis adflatum, & angustiis pressum: uerum semper esse seruatum, nec permissum hostibus, ut se prorsus opprimerent. Repetit hanc gloriationem, tanquam talem, quæ nunquam sit obliuioni tradenda.

Supra dorsum meum.) Quasi dicat, Perinde adflixerunt nos inimici, ac si quis Vers. 38
agrum aratro proscindat. Mentione dorsi innuunt onera seruitutis. Et quoniam illa aliquoties diuturna & proluxa fuerunt, canunt hostes protraxisse sulcos suos.

Dominus iustus concidit.) Liberationem à seruitute comparant amputationi Vers. 4.
funium, quibus iuga bouum ligantur. Dominus, aiunt, iustus, id est, æquus & bonus: funes impiorum, hoc est, potentiam ac uolentiam hostium, qua ueluti funibus quibusdam detinebamur. nostri misertus concidit. Sic rationem reddunt, qua factum sit, ut hostes ipsis non præualuerint.

Confundantur.) Quatuor hisce uersibus primum confusionem imprecantur Vers. 5. 6. 7. 8.
hostibus: talem uidelicet, qua sensu potentiae Dei percussi, perinde retrocedant, ac illi solent, qui ante faciem hostium magna cum ignominia terga obuertere coguntur. Quoniam respexerat, ac magna cum gloria liberauerat Dominus populum Zijon, precantur, ut inde omnes osores ipsorum pudefacti, ab infestatione & tyrannide sua summo cum dedecore desistere cogantur. Deinde orant, ut perinde arefiant, ac gramen tectorum arefieri solet. Solet autem illud, licet ad tempus uirescat, citius arefcere, propter humoris defectum. Sic dicunt: Fiant sicut gramen tectorum, quod priusquam euellatur, arefcit: quod si quis metere uellet, & in manipulos colligere, nec manum, nec sinum replet. Neque tanti momenti messis esset, ut quisquæ ex prætereuntibus benedictionem messoribus huiusmodi apprecaretur. Sic sunt tecta in ea regione, ut facile illis gramen innascatur: ac rursus propter solis ardorem, & humoris tellurisq; defectum, facile exarescat. Orant igitur, ut ad eum modum impij, etiamsi ad tempus uirescant, & luculenta fortuna perspicui reddantur, ac potentes, confestim tamen omni rerum successu priuati, opibus, gloria, & potentia spoliati, uelut arefiant, & in nihilum redigantur: tamq; contempti fiant, quam est foenum tectorum, cuius nemo uel tantillum habet rationis.

Sæpe adflixerunt me à iuuentute mea.) Obseruemus hanc uocem populi Dei, OBSER.
populi eius regis, qui dominatur in medio inimicorum. Primum, cum dicit, Vers. 4.
Adflixerunt me sæpe: significat hanc esse sortem populi Dei, ut non solum adfligatur in hoc seculo, sed sæpenumero & frequenter adfligatur. Eam sortem non debemus putare esse fortuitam, uel à malicia tantum pendere hominum impiorum, sed diuinam dispensationem intueri: & cognoscere, esse prouidentiam Dei erga suos sic comparatam, ut suos frequenter cruce & afflictionibus exerceat: & ad eam rem, impiorum hominum malicia utatur. Deinde & carnem nostram sic esse corruptam, ut eiusmodi castigationis frequentiam, qua coerceatur & humilietur, necessario requirat.

Huc etiam facit, quod dicit, *A' iuuentute mea.* Admonemur & maliciæ, qua populus Dei in ipsis etiam primordiis sic comparatus est, ut cruce & castigatione opus habeat: & paternæ curæ ac prouidentiae Dei, qua illū perinde atque filium à puero disciplinae subiicit. cuius rei multa sunt argumenta in historiis sacris.

Simul admonemur, ut & ipsi iuuentutis nostræ, qua in regno & populo Dei adolescere cœpimus, memores simus, atque inde argumenta diuinæ erga nos prouidentiae & curæ colligamus.

Dicat nunc Israel.) De hac particula uide supra psal. 24. uersu primo.

OBSER. *Verum non præualuerunt mihi.*) Expende. Haftenus permittitur impijs, ut affligant populum Dei. Vt illi præualeant, non permittitur. Præualere autem populo Dei, est haftenus illum opprimere ac pessundare, ut uel prorsus deleatur, uel desinat esse populus Dei, & ad Deos alienos in uniuersum transferatur. Neutrū permisit impijs Dominus. Non enim hoc agitur ab illo, ut suos, quos castigat, uel prorsus perdat, uel omnino à se abijciat: sed ut humiliet, & emendet.

OBSER. *Supra dorsum meum ararunt aratores.*) Obseruemus hic grauitatem & molestiam seruitutis, qua premuntur illi, qui iugo impiorum subiiciuntur. Hic nulla humanitas, nulla æquitas, nulla respiratio, nulla quies. Cogitandū igitur, quantum sit bonum, si detur magistratus pius, sub quo cōmode agere liceat. Quibus hoc datum est, agnoscant animo grato beneficium Domini, illoq; recte utantur. Quibus uero negatur, respiciant ad ista Israelis exempla, & ferant iugum cum patientia, & animo contrito, donec à Domino respiciantur. Illud uehementer deplorandum est, quòd huiusmodi aratores, supra dorsum populi Dei arantes, ac sulcos protrahētes, etiam inter Christianos reperiuntur, & splendidis titulis & elogijs ornantur.

OBSER. *Dominus iustus concidit funes impiorū.*) Admonemur hoc loco, ne cogitemus fieri posse, ut qui seruituti subiecti sunt, ipsi sese liberēt: & funes captiuitatis, potentiam impiorum, suo ipsorum gladio concidant. Vt nec iumentū gladium habet, quo funes iugi concidat: nec ouis eos dentes, quibus lupum conficiat: ita nec illi, quos Dominus impiorū seruituti, humiliationis & castigationis gratia subiecit, sic sunt uiribus & consilio instructi, ut impiorum potentiam confringant, ac se ipsi iugo seruitutis liberēt: sed ea potestas in manu Dei est, qui gladium habet, quo tyranni conficiantur, & captiui liberentur.

OBSER. *Confundantur, & auert.*) Et hic obserua, quòd non dicit, Confundemus & auertemus retrorsum, &c. sed orat & optat, dicens: Confundantur, & auertantur retrorsum. Confusio & auersio impiorum non est in manu piorum, sed in manu Dei. Igitur orandum est, & pio desiderio optandum, ut confundantur & auertantur.

Omnes qui oderunt Zìon.) Nota. Non dicit, Omnes qui oderunt me: sed, Omnes qui oderunt Zìon. Sic sancti non propriæ uindictæ studio, sed populi Dei zelo ad hoc feruntur, ut impijs confusionē ac repressionē imprecentur.

OBSER. *Fiant sicut gramen tectorum.*) Obseruemus hoc loco, quomodo spiritus sanctus potentiam & gloriam impiorum, graminì tectorum comparet. Alioqui scriptura gloriam carnis, fœno campi uel agri comparat. Hic uero gloriam & uires impiorum comparat graminì, non campi, uel agri: sed tectorū, quod multo est uilius. Primum occupat fastigia tectorum. Species & imago superbiae præfertur. Deinde, radices non agit altius, propter defectū telluris. Sic comparatus est omnis fastus, ut hæreat in superficie, nec radices firmas obtineat. Tertiò, non diu uirescit: sed citius opinione, propter defectū humoris, & ardorem solis, exarescit. Sic & fastus & potentia impiorū. Transiui, inquit Vates, & amplius non erat. Psal. 37. Quantumcunque floreat, opinione citius arescunt, & in puncto descendunt ad inferos. Quartò, nulla est utilitas ex gramine tectorum, propter quam meti ac colligi debeat: nec à prætereuntibus benediceretur, si quis illud metere uellet. Perinde habet & gloria & potentia

A tentia impiorum. Nulla ex illis provenit utilitas, etiam si quis eos colat, & emolumentum aliquid ex illis quaerat. Nec potest à proximis benedicì, si quis id conetur. Plus enim maledictionis habet ea res, quàm benedictionis: plus de trimenti, quàm emolumentum.

Est etiam illud in ultimo versu notandum, ubi dicit, Nec dicunt pretereuntes: Adsit vobis benedictio Domini, benedicimus vobis in nomine Domini: quàm sit mos ille vetustus, idè in populo Dei: ut qui laborantes pretereunt, illis benedicant, hoc est, benedictionem à Domino precentur, quo cum fructu & emolumentò opus suum per gratià illius perficere possint. Agnoscunt hac benedictione p̃ij, sine benedictione & ope Domini, inanem esse quemcunque hominis laborem & conatum. Deinde hunc animũ erga proximum ostendunt, ut cupiant illi laborem ipsius optimè cadere. Mos hic benedicens ac salutandi mansit in usu catholico: sed fidei huius sensus, & mutuae charitatis affectus, rarissimus esse cœpit.

PSALMVS CXXX.

Canticum graduum.

Instituitur hoc psalmo populus Israelis, in captivitate propter iniquitates suas constitutus, ut ad Dominum suspiraret, primum pro peccatorum suorum remissione, deinde pro liberatione. Existimant hoc canticũ in captivitate Babylonica esse cõpositum. Meo tamẽ iudicio non est affectus iste alienus ab exilio Davidis, in quo vir ille utiq; sciebat, tyrannidẽ Shaulis peccatis populi deberi: illiusq; nomine ad Dominũ, remissionis ac liberationis gratia, noctes ac dies ingemiscebat et clamabat.



Profundis inuoco te Domine.

1

Domine audi uocem meam, sint aures tuæ attendentes ad uocem deprecationis meæ.

2

E Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis subsistet?

3

Quoniam apud te est propitiatio, propterea coleris.

4

Expecto Dominũ, expectat anima mea: & uerbũ eius expecto.

5

Anima mea ad Dominũ, magis quàm custodes ad tempus matutinum, obseruantes tempus matutinum.

6

Expectet Israel Dominum: quoniam apud Dominum benignitas, & multa apud eum redemptio.

7

Et ipse redimet Israellem ex omnibus iniquitatibus eius.

8

Propterea coleris.) Ebr. למען רצית, id est, propterea timeris: uel, ut timearis: **LECTIO.** aut, propterea quòd timeris. Videtur autem uerbum רצית positum, pro cultu **Vers. 4.** & obseruantia Dei. Ideo uerti, Propterea coleris. Græc. sic, ὡς ἀγαπᾷ τὸ δυνάμει τὸς σς, id est, propter nomen tuum. Vulg. Lat. Propter legem tuam. Videtur ille interpres legisse רצית, pro רצית. Chaldaus sic, מן בגלל רתחמי, id est, ut uidearis, ut obserueris. Hieron. Cum terribilis sis. Felix, Ut timearis. Sic & Iustin. & Pagn. Camp. Sicq; ad synceram uenerationem tui inuites.

Expecto Dominum.) Ebr. קיויתי יהוה. Græc. & uulg. Lat. Sustinui te Domine. **Vers. 5.** Hieron. Sustinui Dominum.

Expectat anima mea.) Græc. & uulg. Lat. sic legunt, ac diuidunt ista: Sustinuit anima mea in uerbo eius, sperauit anima mea in Domino.

Magis quàm custodes ad tempus mat.) Ebr. משמרים לבקר שמרים לבקר. Quod **Vers. 6.** potest legi, uel, A custodientibus ad mane, custodientibus ad mane: uel, Pre custodientibus ad mane, custodientibus ad mane. Græc. & uulg. Lat. A custodiam matutina usque ad noctem. Hieron. sic: A uigilia matutina usque ad uigiliam matutinam. Iustin. A custodiam matutina, usque ad custodiam matutinam. Tigur. Ab agentibus uigilias matutinas, usque ad agentes uigilias matutinas. Felix: Supra obseruantes mane, obseruantes mane, Pagnin. Magis quam

quàm custodes mane, custodes mane. Munster. Ante custodes matutinos, & custodes inquam matutinos. Campēf. עֲבָרָה sequutus, uersum hunc sic paraphrastice reddidit: Anima mea ardētius expectat aduentum Domini, quàm uigiles nocturni tempus matutinum, uigiles inquam, qui somno grauati, matutinum expectant tēpus, quo dormire liceat ipsis. Reliqua satis cōcordant.

EXPLANATIO.

Diuisio psalmi quadripartita est. Primis duobus uersibus inuocat Dominum, & orat ut exaudiatur. Deinde tertio & quarto ambit remissionem peccatorum. Tertio, meminit spei & expectationis suæ, uersib. quinto ac sexto. Postremo hortatur Israellem, ut Dominum expectet: polliceturq̃ futurum, ut redimatur. Facit hoc duobus postremis uersibus.

Vers. 1. & 2. E profundis inuoco te Domine.) Illud, E profundis, exponunt Græca scholia, ē profundo corde, ex imis animi sedibus, ex intīmis cordis penetralibus. Kimhi Ebraeus dicit habere metaphoram profundarum aquarum, quod populus ē captiuitate, perinde atque ē profundis aquis ad Dominū clamarit. Non uidetur inconueniens, ut profundis aquis comparari intelligamus graues afflictiones, ē quibus pius animus ad Dominum perinde clamarit, ac si quis ualidis aquis correptus, ad cōelos clamet, & auxilium à Deo anxie quærat.

Domine audi uocem meam, sint aures, &c.) Rem eandē bis dicit, pro more eorum, qui ex abundantia cordis loquuntur. Est id Dauidi in consuetudo, ut has uoces coniungat: Clamo ad te Domine, audi uocem meam, inclina aurem tuam ad preces meas. Vnde facile crediderim, esse hunc psalmum Dauidis.

Vers. 3. & 4. Si iniquitates obser.) Orabat pius animus pro liberatione Israelis. Occurrebat esse illum adflīctum propter multas & graues iniquitates. Suspirat igitur pro remissionis gratia. Petitionem illius non exprimit uerbis, sed & necessitatem eius, & catholicam omnium fidem ac spem profert. Si iniquitates, inquit, obseruaueris, uel reseruaueris, id est, retinueris, ut non remittas, Domine quis subsistet? Q. d. Pereundum est omnibus. Illud latet in affectibus. Si remittis autem, quare non remitteres populo tuo, tot modis misero & adflīcto? Emphasim ardentis animi in eo expressit, quod uocem hanc Domine, ingeminauit, dicens: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis subsistet? Addit uersu quarto: Quoniā apud te est propitiatio, propterea coleris. Q. d. Verum scimus esse apud te propitiationem, qua iniquitates humiliatis ac resipiscentibus remittas. Et hanc ob causam coleris. Etenim quæ alia est colendi, obseruandi, & uenerandi tui ratio miseris & peccatoribus, quàm hæc unica, quod scimus esse te Deum propitium, clementem, misericordem, & multæ miserationis? Propitiare igitur peccatis populi tui.

Vers. 5. & 6. Expecto Dominum.) Absoluta precatione, conuertitur ad populū Dei, & primum illi de sua spe & expectatione mentionē facit. Ego, inquit, expecto Dominum, expectat anima mea, & uerbum eius expecto, &c. Q. d. Hæc est spes & fiducia mea erga Dominum, quod sit nos liberaturus. Id expecto, id ē ex corde, & uerbo eius suffultus. Hac spe animatus, intentum habeo animū ad Dominum, multo maiori desiderio opem illius expectans, quàm diluculum expectant illi, qui nocturnas excubias exequuntur. Vt hunc sensum exprimerem, uisum est prius עֲבָרָה nominaliter, & posterius participialiter reddere. Et uox ea tam custodes, quàm obseruantes significat.

Vers. 7. & 8. Expectet Israel Dominum.) Duobus istis postremis uersibus Israellem alloquitur, & ad hanc expectationē suo exemplo hortatur. Addit rationē omnium fortissimam. Primum à benignitate Dei. Quoniā apud Dominum, inquit, benignitas. Deinde à uirtute redimendi. Et multa, inquit, apud eum redemptio, id est, redimēdi uirtus & facultas. Tertio adijcit affirmationem. Et ipse, inquit, redimet Israellem: id ē non imperfecta redemptione, sed plena & absoluta, ex omnibus uidelicet iniquitatibus eius. Sic fidem, spem, & expectationem suam Psalter de redemptione Israelis, cōsolationis & confirmationis gratia præsentī psalmo & orando, & hortando, & promittendo proposuit.

E profundis

A *E profundis inuoco te Domine.*) Siue intelligas de cordis, siue de tribulationum **OBSER.**
 qualicumque profunditate, obserua hoc loco, quamuis excelsissimus sit thro- **Verf. 1. & 2.**
 nus Dei, qui in coelis est, nihil tamen esse tam profundum in terris, unde pio-
 rum suspiria & preces impediuntur, ne Deum inuocent, & ab illo uoces suas
 audiri petant. Nec David in speluncis, nec Daniel in lacu leonum, nec Ionas
 in profundo maris, immo in ipso uentre ceti constitutus, nec Paulus in car-
 ceribus, impediti fuere, quin clamarent ad Dominum: nec sublimitate sedis
 sue Dominus prohibebatur, quo minus aures suas ad clamorem illorum in-
 tenderet, & suspiria quoque illorum audiret. Usque adeo scilicet unus spiri-
 tus sunt cum Deo, qui illi adherent, ut nec sublimitate diuinitatis, nec profun-
 dissima etiam miseria & calamitate humanitatis a se inuicem auelli queant.
 Ut & hic uerum sit, quod Apostolus dicit: Neque altitudo, neque profun-
 dum poterit nos separare a charitate Dei, &c.

Domine audi uocem meam.) Obserua, quod uocem deprecationis suae audiri
 petit, antequam de petitione subiungat. Admonemur, esse id singulari gra-
 tia Dei deputandum, quod uoces nostras clementer audit. Sic putat se pau-
 perculus plurimum obtinuisse, si princeps ad uocem petitionis suae aurem
 clementer accomodet. Interpretatur enim, illud esse beneuolentiae princi-
 pis argumentum, unde futurum sit, ut petitioni suae annuat.

Si iniquitates obseruaueris.) Consideremus hoc loco, quid de toto in uniuersum **OBSER.**
 humano genere sentiat Propheta. Hoc uidelicet, prorsus ex omnibus morta- **Verf. 3.**
 libus ne unum quidem esse, qui coram Domino subsistere possit, si iniquita-
 tes remittere nolit. Non dicit simpliciter, Domine, nullus subsistet: sed, Do-
 mine, quis subsistet? Quasi dicat, Tu Domine hoc nosti, fieri non posse, ut ul-
 lus mortaliu subsistat, si peccata remittere nolis. Ergo uniuersum genus mor-
B talium, peccato est obnoxium: & tam sanctus & iustus nemo est, ut alienus sit a
 peccato, & in iudicio Dei subsistere possit, si ille remota sit misericordia iudi-
 caturus. Et obserua, quod non dicit, Si peccata: sed, Si iniquitates obseruaue-
 ris Domine. Amplius quiddam est, inique agere, quam simpliciter peccare.
 Non debemus ergo putare, esse sanctos leuibus quidem peccatis, sed non ini-
 quitatibus obnoxios: & Deum peccata quidem remittere, iniquitates uero
 non item. Et illi inique aliquando agunt, & Deus iniquitates etiam remittit.
 Ergo in sola misericordia Dei, qua peccata & iniquitates remittuntur, subli-
 stit coram Deo, quisquis subsistit. Ideoque illi demum beati sunt, quibus pecca-
 ta remittuntur: sicut & supra psal. 32. & Rom. 4. uidere licet. Consequitur igitur
 primum, inanem esse omnem iustitiae nostrae gloriam & fiduciam. ut re-
 cte dicat ille: Va uniuersae nostrae iustitiae, si remota misericordia iudicetur.
 Deinde, uanum esse commentum tam satisfactionis, quam satisfationis no-
 strae. Etenim si iustitiae Dei, peccata retinenti, remota misericordia, & pecca-
 torum remissione, uel agendo, uel patiando satisfieri posset, prorsus inane
 esset, quod Propheta urget, ac dicit, Si iniquitates obseruaueris Domine,
 Domine quis subsistet? Posset enim illi regeri: Is qui iustitiae Dei satisfacit,
 uel satisfatur pro delictis suis, utique subsistet. Nec solum id quod Prophe-
 ta urget, uanum esset: sed inanita redderetur etiam omnis illa gratiae & mise-
 ricordiae Dei gloria, propter quam omnia sub peccato conclusit, ut omnium
 misereatur. Roman. 11.

Præterea & illud consideremus. Ambit misericordiam Dei, qua peccata
 populi remittantur. Et ut fiduciam impetrandi illam, in corde suo confirmet,
 argumentatur ad hunc modum: Si iniquitates Domine non remittis, non solum
 nobis, sed simul uniuersis pereundum est mortalibus. Etenim nemo coram te
 subsistet. Ut quid igitur creasti omnes filios hominum, si pereundum est omni-
 bus? Iudicat autem pius Vates, alienissimum esse a Deo, ut frustra crearet omnes
 homines: passurusque sit, ut nemo seruetur, damnentur ac pereant omnes. Et
 hac fide confirmat in corde suo, necessarium esse, ut remittat Deus peccata fi-
 liorum hominum, Hoc confirmato, sperat etiam in specie, non solum in ge-
 nere,

nere, remissurum Deum peccata populo suo: nec passurum, ut ille prorsus sine ulla misericordia pereat. Ad hunc modum & nobis argumentandum esse iudico, non solum in hac causa, quod remissionem peccatorum attinet, sed & in alijs: utpote ubi rerum penuria premitur populus fidelium, colligendum est hoc pacto: Si non pascis mortales Domine, Domine quis subsistet? Peribit totum genus mortalium. Non poteris autē ferre, ut omnes fame pereant. Pascis igitur. Itaque si pascis omne genus hominum, & solem ac pluuiam largiris malis etiam & ingratīs: quomodo ferre poteris, ut fideles tui, rerum penuria pereant?

OBSER. Quoniam apud te est propitiatio.) Obserua, quod nō simpliciter dicit, Quoniam uerō iniquitates non obseruas: sed, Quoniam apud te est propitiatio. Reperias magistratū, qui & ipse peccata ciuium nec obseruet, nec iudicet: uerū id faciat leuitate quadam animi, nullo iustitię studio, nullo peccatorum odio pręditus: quales postremis istis temporibus, in quibus abundat iniquitas, nimis multi reperiuntur, plus æquo in corrigēdis malis ciuium ac subditorum remissi: nisi forsan, si quid aduersum ipsos etiam per imprudentiam committatur, ibi admodum grauiter ac seuerē uindicant. Quod Deus uerō iniquitates non obseruat, non est leuitatis, sed propitiatiōis. Quoniam apud te est propitiatio, inquit.

Et illud considera, quod non dicit, Quoniam propitiatus es iniquitatibus mortalium: sed, Quoniam apud te est propitiatio. Aliud est, aliquādo propitiari delinquentibus: & aliud, animum habere propitium ac clementē. Ignoscit aliquando & tyrannus, per occasionem aliquam inductus: cuius tamen animus alienissimus est à clementia & propitiatiōe. Admonet ergo spiritus sanctus, quod iniquitates Deus filijs hominum remittit, fieri nō occasione aliqua: sed ex eo, quod clemens est, & propitius. Perinde ac si de homine bono dicas, cuius beneficentiā proximis innotuerit: Quoniam apud te est bonitas, ideo amaris. Hisce uerbis non solum beneficentiā facta, sed & ipsum fontem beneficentię expresse. Nam longē aliud est, per occasionem cuiuspiam benefacere, quod & mali aliquando faciunt: & aliud, ex corde, in quo est bonitas, omnibus ad benefaciendum esse paratum.

Propterea coleris.) Obserua hīc, unde alendus sit animus hominis in uero cultu, religione, ueneratione, & obseruantia Dei. In eo uidelicet, quod unicū est salutis nostrę fundamentum, sine quo frustra cum Deo ageretur à mortalibus, corruptis peccatoribus, ac perditis. Quoniam, inquit, apud te propitiatio est, propterea coleris & obseruaris. Itaque si quis auferat spem ac fiduciam diuinę clementię, bonitatis, ac propitiatiōis, qua peccata remittuntur, & relinquat mortalibus solam iustitię ac iudicijs illius seueritatem, non poterit cōsistere uerus illius cultus. Cogitent hīc doctores iustitię humanę, & obscuratores gratię Dei, quā peruersum sit, quod se diuini cultus assertores esse fingunt: cum obseruantia Dei, nulla possit meliore ratione in cordibus mortalium propagari, quā per doctrinam gratię, qua innotescit miseris peccatoribus, esse apud Deum propitiatiōem. Quod si quibuscūq; ista prædicatio diuinę propitiatiōis, occasione securitatis, negligentię, & contemptus parit, id quod dubio procul carnalibus hominibus accidit: obsecro, conuenit ne, ut propter illorum peruersitatem gloria gratię Dei obscuratur, & cōsolatio electorū ac fidelium interuertatur? Conuenit ne, ut uel mentiri spiritum sanctum dicamus: uel omnem illam carnalium hominum peruersitatem, qua in peccatis securē pergunt, doctrinę gratię Dei acceptam feramus? Absit, absit, inquam, hoc à cordibus piorum.

OBSER. Expecto Dominum.) Obserua exercitium ac studium sanctorum. Hactenus cum Deo egit Psalter. iam ad populū eius conuertitur, illiq; suum ipsius proponit exemplū. Sic sancti iam sursum ad Deum orando, petendo, ac querulando rapiuntur: iam ad fidei sue consortes, uel docendos, uel admonendos, uel corripiendos, uel consolandos & confirmandos conuertuntur.

Deinde

A Deinde, cōsidera & illud, quàm competenter post orationem ad Deum, & confirmatam cordis sui fiduciam, de expectatione auxiliij Dei subiiciat. Nam sic habet cursus fidei sanctorum: Credunt, sperant, orant, expectant.

Tertiò, obserua qualitatem huius expectationis. Primùm dicit, Expecto Dominum. Audis quem expectet. Cogita etiam, quid sit expectare Dominum. Nihil illi præscribere, nec tempus, nec modum: sed patienter expectare, donec ipsi uisum fuerit tempestiuū, ut succurrat. Expectat anima mea. Hoc est, intima mea, cor meum, expectant ac suspiciunt ad Dominum. Addit: Et uerbum eius expecto. Significat expectationem suam non esse temerè præsumptam, qualis esse solet hominum carnalium, sed pendere à ueritate uerbi Dei. Anima mea ad Dominum magis quàm custodes, &c. Exprimi ardorem ac sedulitatem expectationis suæ. Qui uigilant noctu, cupidissimè tempus matutinum expectant, quòd utut in manu sua non habeant, certò tamen uenturum esse sciunt. Ergo expectatio sanctorum hæc habet: Primùm, expectant Dominum. Deinde, expectant ex corde. Tertiò, expectant non temere, sed certò, ueritate uerbi Dei suffulti. Quartò, expectant cupidè, ac magno cum desiderio. Cogitemus hic expectationem nostram similem esse custodiæ ac uigiliæ nocturnæ, in qua quicquid est molestiæ, hoc nomine patienter perfertur, quòd ea uigilia & breuis esse scitur, & certa diei expectatione mitigatur. Cogitemus etiam ex similitudine temporis matutini, quo diei exortus summa hilaritate nocturnas molestias terminat, quanta futura sit iucunditas illius diei, qua omnes sanctorum, expectantium Dominum suum, uigiliæ & expectationes inenarrabili cum lætitiâ terminabuntur. Adhuc & illud consideremus, quàm diuersa sint piorum & impiorum ingenia. Pij similes sunt custodibus nocturnis, exortum diei cupidè desiderantibus & expectantibus. Impij, tanquam filij tenebrarum, similes sunt nocturnis, & sceleratis hominibus, quibus nocturna caligo iucunda est, & exortus diei admodum auersandus uidetur.

Expectet Israel Dominum.) Obserua, quòd Israelem Psalter ad id faciendum OBSER. Vers. 7. hortatur, quod ipse se facere in præcedentibus meminit. Dixit: Expecto Dominum, expectat anima mea, & uerbum eius expecto. Anima mea ad Dominum, &c. Iam subiungit: Expectet Israel Dominum. Hoc genus admonitionum in populo Dei nullo precio satis æstimari possunt, qui ipsi primùm noctes ac dies ad Dominum pro salute populi suspirant & clamant: deinde & à uerbo Dei pendentes, opem Domini expectant: atq; hoc modo animati fideles, quosuis ad fidem, spem, & expectationem erga Deum retinendam adhortantur.

Quoniam apud Dominum benignitas, & multa apud eum redemptio.) Primùm, quod supra uersu quarto admonui, ibi, Quoniam apud te est propiciatio: idem & hoc loco obseruandum uenit. Deinde obserua, quid rationis assignet, ob quam Israel debeat expectare Dominum. Benignitatem uidelicet Dei, & multam redimendi facultatem. Non dicit, Quoniam estis filij Abraham, populus Dei, & fœderis participes: sed benignitatem Dei proponit. Tertiò, & illud nota, quòd benignitatem Dei, & multam redimendi facultatem, uel propensionem ad redimendum in Deo coniungit. Benignitatem præmittit, tanquam alterius fontem: & simul admonet, ut cogitent quomodo illa sit toties declarata, quoties ab hostibus sunt redempti.

Et ipse redimet Israelem.) Obserua promissionis certitudinē. Sic possunt certò OBSER. Vers. 8. polliceri, qui sic uerbo Dei, ac benignitate illius nituntur. Et qui sic certò polliceri possunt, possunt etiam seriò & ex animo ad expectandum Dominum hortari. Refert etiam hanc promissionem ad id temporis, cuius Apostolus Rom. ii. meminit, dicens: Nolo uos ignorare fratres mysteriū hoc, ut nō sitis uobis ipsis sapiētes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intrauerit. Et sic omnis Israel saluus fiet. Sicut scriptum est: Veniet ex Zijon qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me testa-

mentum, cum abstulero peccata eorum. Hæc Apostolus. De quibus uerbis C malim audire alios, quam ipse plura commemorare. Et spiritus sanctus cum subiungit hoc loco, ex omnibus iniquitatibus eius, palam dirigit ad eam liberationem, quæ per Christum cōtingit electis. Nam is solus est, per quem, tanquam perfectum & absolutum seruatorem, Israel ex omnibus, nō solum molestijs, sed & iniquitatibus liberari potest. Est autem liberari, ab iniquitatibus omnibus sic liberari, ut nihil supersit amplius, quod ullo modo incommodare possit. Quemadmodum iniquitatibus captiuum detineri, sic est esse captiuum, ut nihil sit in omni uita, quod feliciter cadere queat.

P S A L M V S C X X X I.

Canticum graduum Dauidis.

SVo exemplo Propheta populum Dei ad ueræ ac synceræ modestiæ studium inducit, atq; ita demum ad sperandum in Dominum hortatur.

1 **D**omine non est elatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei: nec ambulauit in magnis ac mirabilioribus, quam mihi conueniat.

2 Si non depressi & compescui animā meam, sicut ablactatus apud matrem suam, sic ablactata in me anima mea.

3 Expectet Israel Dominum, ex hoc tempore & usq; in seculum,
L E C T I O Ac mirabilioribus, quam mihi conueniat.) Ebraicè רַבְּנִימְלֵאֵת מִמֶּנִּי, id est, Et mirabilioribus supra me, præ me, à me. ut sensum redderem, uerti: Ac mirabilioribus, quam mihi conueniat.

Verf. 1. Si non depressi.) Versus hic uariè redditur. Græcus & Vulg. lat. sic: Si non humiliter sentiebā, sed exaltaui animā meā. Sicut ablactatus est super matrem suam, ita retributio in animā meam. Hier. Si non proposui & filere feci animā meā, sicut ablactatus ad matrē suam, ita ablactata ad me anima mea. Iust. Si non reposui & filere feci animam meam, tanquam lactentem super matre sua, tanquam lactentem super me animā meam. Felix: Si non posui & humiliāui animam meam, sicut ablactatus super matrem suam, sicut ablectatus super me anima mea. Pagn. Nisi posui & filere feci animam meam, sicut ablactatum super matrē suam, sicut ablectatum eam, quæ est in me animam meam, hæc faciat mihi Deus, & hæc addat. Legit iste in forma iuramenti illud לֹא אֵם, id est, Si nō. quemadmodum & Camp. & Kimhi Ebr. & Tigur. ad hunc modum legit: Malè sit mihi, si non comparaui & similem iudicaui animam meam puero ablactato apud matrem suam, estq; anima mea in me similis puero ablactato.

Habent autem Ebræi addunc modū אֵם לֹא שִׁוִּיתִי וְרַבְּנִימְלֵאֵת בְּגִמְלוֹ עָלַי וְנִפְשִׁי. Hoc est: Si non posui & compescui animā meā, sicut ablactatus super matre sua, sic ablactata super me anima mea. Possent ista sic reddi: Si non depressissem & compescuissem animā meā, sicut est ablactatus erga matrē suam, sic ablactata fuisset in me anima mea. Vel ad hunc modum: Domine non est elatum cor meū, neq; elati sunt oculi mei, ut sit hic primus uersus. deinde sequatur secundus: Et nō promouissem (לֹא הִלַּכְתִּי) ad magna & mirabilia super me, nisi depressissem & cōpescuissem animam meam. Et quæ sequuntur, ad tertium uersum pertineant: Sicut ablactatus est ad matrem suam, sic ablactata est in me anima mea. Hoc pacto possent ista legi, si liceret dispositionem uersuum, quæ in Ebræo est, infringere. Volui tamē ista annotare, ut lector occasionem habeat cogitandi.

E X P L A N A T I O.

Domine nō est elatum cor meū.) Quoniā à delatoribus & assentatorib. Shaulis improbè accusabatur, quòd ad regni fastigia aspiraret, canit ista de se, quibus in conspectu Domini negat esse sibi quicquam tale, nec in corde, nec in gestibus, nec in uitæ cōuersatione. Domine, inquit, nō est elatū cor meū. Q. d.

Cor